Fischer, Ernestus
De vocibus Lucilianis
selecta capita

„DE VOCIBUS LUCILIANIS SELECTA CAPITA.“

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ERNESTUS FISCHER

BEROLINENSIS.

HALIS SAXONUM

MDCCCLXXXI.

Luciliani sermonis quae sit propria ars et ratio fusius pleniusque aliquantum exquirere et perspicere; diligentius „magni“ illius, quem veteres laudibus suis per saecula extulerunt, „Auruncae alumni“ (Juv. 1,19) intueri dictionis supellectilem quasi et instrumenta, quibus „ense velut stricto“ (Juv. 1,165) totiens ardentem eum infremuisse et secuisse urbem Juvenalis et Persius (Pers. 1,114) celebrant; congerere et disponere verborum Lucilianorum copiam, proprietates, singularitates — id adhuc neminem, nisi Gerlachii[1]) primos in prolegomenis editionis suae Lucilii ut exiguos ita haud dubie obsoletos aliorumque (velut Luc. Mülleri d. r. metr. libr. VII.) dispersos respicis conatus, collectis omnibus suscepisse, in tanta commentationum de Lucilio[2]) his annis quadraginta editarum multitudine jure miramur. Nam etsi lux vere sospitalis ejus reliquiis nimirum nondum orta est plurimaque, quae eam, quam significavi, rem omnino magis tentari quam absolvi posse ostendant, eam tractanti obstant, ipsa fragmina tamen contextu verborum divina Lachmanni aliorumque principum in hoc artis genere opera nonnunquam ingeniose restituto, saepius conjecturis probabilibus emendato, rarissime ab omnibus viris doctis plane incerto et insanabili relicto mehercle, ut sunt, digna sunt, ex quibus illum quoad fieri poterit capiamus fructum, de quo jam Ribbeck (Neue Jahrb. für Phil. 1857, 75 p. 311) hisce verbis disseruit: „Die Inschriften führen zu der Ueberzeugung, dass Ennius, Attius, Lucilius ebensoviele Repräsentanten und Urheber bestimmter Epochen in der Sprache und Schriftentwicklung gewesen sind. Die Verfolgung dieses Gesichtspunktes, die Zurückführung der einzelnen Neuerungen auf ihre muthmasslichen Gewährsmänner und die Aufspürung der Stimmführer und Schulen auch für die spätere Zeit wird zu den interessantesten Resultaten

---

[1]) Fr. Dor. Gerlach (G.) ed. Lucilii satiras. Turici 1846.

[2]) cfr. E. Hübner, Grundriss zu den Vorlesungen über die römische Literaturgeschichte. Berol. 1878, § 31.

und Anknüpfungspunkten für die ganze . . . . Geschichte der römischen Erudition . . . führen. Eine geschlossene Characteristik der sprachlichen Eigenthümlichkeiten irgend eines Zeitraums oder der Reformen und des Systems irgend eines jener Männer — soweit die fragmentarischen Notizen und Anhaltungspuncte eben reichen — hat Ritschl bis jetzt noch nicht gegeben". —

Qua quidem re in universum considerata imprimis de Lucilii elocutione haud incommode disseri posse cum magis in dies intellexerim, jam hisce schedulis solis de vocibus Lucilianis satis habeo explicuisse.

Et postquam diu dubitavi, num levius esset hoc propositum et nimis inane, praeter maximam spem in poeta tam difficili nihil omnino supervacaneum fore, quod ad reliquias ejus melius existimandas aliquid conferre posse videatur, haec duo potissimum tandem mihi fecerunt summum animum: Primum enim jam Quintilianus (Instit. orat. I, 4, 4) in universum „excutiendum, inquit, omne scriptorum genus, non propter historias modo, sed verba, quae frequenter jus ab auctoribus sumunt". Tum denuo nostra aetate Wölfflinius[1]) in hunc modum: „Niemand, inquit, wird es dem Philologen wehren, wenn auch er sich — wie der Naturforscher — ein Microscop construirt, um mit demselben die Gesetze der Entwicklung des Menschengeistes zu ergründen. Die microscopische Untersuchung ist aber keine andere als die statistisch-lexicalische. Lange Zeit gering geachtet als eine geistlose und wenig fruchtbare Arbeit . . . . ., ist sie gerade jetzt, wo die Aufsuchung und Ausbeutung der grundlegenden Hss. dem Abschlusse sich nähert, berufen . . . ., für die Kenntniss der alten Sprachen . . . . ungeahnte Resultate zu fördern. . . . . Die Unterschiede zwischen archaistischer, classischer und nachclassischer Sprache, poetischer und und prosaischer Diction, Volks- und Schriftsprache treten auf diesem Wege deutlich hervor. Auch vermögen wir neben dem Absterben und dem Auftauchen neuer Wörter und Bedeutungen . . . . durch Vergleichung die quantitative oder qualitative Einbusse und Entwerthung zu bestimmen, denen so manche Wörter im Laufe der Jahrhunderte ausgesetzt gewesen sind."

Istas ipsas autem C. Lucilii voces tanquam notabiles re vera et aptas ad tractandum diu cum alii tetigerunt multi docti, tum et Gerlachius (praefat. edit. p. CXXXVII) „majorem Lucilio liber-

---

[1]) Wölfflin, „Antiochus von Syrakus und Coelius Antipater". Winterthur 1872; praef. p. V. sq.

tatem et facilitatem fuisse, ait, in verbis componendis fingendisque" et post Jordanus[1]) Ennium Luciliumque „die grossen Vorbilder zweier Dichtungsarten und deshalb die Uebermittler und Erhalter vieler Wörter des älteren und ältesten Lateins" appellat, et qui iudicium fecit[2]) de Mülleri editione constituit suo jure: „Auch zeigt er (Lucilius) darin manches Eigenthümliche, dass er seltene Wörter und Formen gebraucht."

In haec vocabula Luciliana ut accuratius jam inquiram, duabus partibus disseram de proposita re. Quarum altera erit de vocibus singularibus, altera de iis, quae rarissimae etiam ante et post Lucilium inveniuntur. De quibus omnibus ita disputabo, ut Forcellinii, Gessneri, Nevii, Rönschii, Loewii aliorumque doctissimorum virorum libros sagaciter perscriptos, quos infra singulis notabo paginis, quam maxima diligentia studeam consulere et adhibere. Aequo autem, quo opus est, judicio simul Lachmanni[3]) et Luciani Mülleri[4]) sequi constitui editiones, cum utraque egregie alteram suppleat; quod ut planius exponam: Illa mirandis fere emendationibus insignis ex obsoletis pendet Grammaticorum editionibus, haec optimis usa fontium illorum exemplaribus ex immodesta quadam audacia conjiciendi vehementius claudicat et vacillat. —

Jamque aggrediar ad rem.

---

[1]) Jordan (J), Kritische Beiträge zur Geschichte der latein. Sprache p. 307.

[2]) Göttinger gel. Anz. 1873. p. 1401.

[3]) C. Lucilii satirarum Carol. Lachm. (L.) emendavit, edidit J. Vahlen, Berol. 1876.

[4]) C. Lucilii satirarum reliquiae emendavit et annotavit. Lucian. Müller (M.), Lips. 1872.

Tribus potissimum ipsius Lucilii artibus vel studiis, ut ita dicam, externum versuum ejus teneri habitum, unicuique, qui eos attentius perlegerit, apparebit. Nam primum eximiae fere eruditionis doctrinaeque particeps, valde urbanus (Hor. sat. I., 4, 7), facetus (Hor. sat. I., 10, 3), comis (Porphyr. ad. Hor. sat. I., 3, 38), emunctae naris (Varr. ap. Gell. VI., 14) fuit, unde doctae graciles exquisitae voces etiamnunc plurima ornant ejus fragmina; simul autem populi gratiam summopere sibi colligere cum studeret, iterum iterumque ad commune judicium popularemque intelligentiam suam ipsius accommodavit elocutionem, unde vulgares (Porphyr. ad Hor. ep. I., 19, 33), velut obscenas similesque voces satis superque immixtas invenimus ejus satiris; tum veterem Graecorum comoediam quasi exemplar penitus secutus (Hor. sat. I., 4, 1) novas, ut illa, per ludibrium finxit voces. Quibus paucis quasi de origine verborum Lucilio peculiarium praemissis nunc transeo ad partem I.

Pars I.

De singularibus Lucilii vocibus et formis eloquendi.

Tractanda hic sunt omnia ea verba, quae dicimus *ἅπαξ εἰρημένα*, quibus nemo superstitum quidem scriptorum Latinorum praeter Lucilium usus est. Quot autem quot scriptorum libri et scripta perierunt! Difficillime igitur aut e sensu vel ex terminatione aut omnino non a nobis posteris, casusne ludibrio singularia facta sint an simul inventa sint et data oblivioni an postea demum consulto evitata, potest dijudicari. Qua condicione enumerabo semper primo loco voces alibi inauditas, altero notiorum vocum inusitatas formas Lucilianas, hunc praeterea ubique secutus ordinem ut, priusquam de vocibus latinis et de peregrinis aut ante Lucilium aut ab eo in linguam Latinam tralatis disseram, pauca de mere graecis exponam.

Cap. I.: **Substantiva.**

A. Nomina propria.

De quibus jam Luc. Müllerus, d. re metr. p. 40: „Omnino Lucilius, inquit, si ab inferis resurgeret, cum alia plurima fortunae

saevitia et librariorum stupore quereretur inversa ac depravata, tum omnium maxime nomina propria, quibus illum, dum publicam Romanorum vitam et magis privatam mira libertate et lepore perstringit, plurimum usum fuisse credibile est". Quorum quae frustra apud reliquos scriptores latinos quaesieris, apud Lucilium extant haec:

a. graecanica.

α. Ad personas Lucilianas pertinent:

1. Aegialea i. e. *Αἰγιάλεια*, quam poeticam vocis Aegiale (*Αἰγιάλη*) saepius usitatae formam tantummodo etiam ap. Hom. Il. 5, 412, ap. Apollod. 1, 8, 6. 9, 13, ap. Diod. Sicul. exc. L. 6 frg. 2 invenimus. Hanc ipsam fuisse Aegialeam Lucilii ex Servio concludere nobis licet, qui ad Aeneid. VIII., 9: „Diomedes, inquit, postquam repperit ira Veneris a se vulneratae uxorem Aegialeam apud Argos cum Cyllabaro, ut Lucilius, vel Cometa, ut plerique tradunt, turpiter vivere noluit reverti ad patriam. L. edit. p. 138, M. omisit.

2. Andron, quod nomen M. restituit v. 1146 (inc. 91): „Andronis flacci leget utria". Vide infra s. v. „utria" et M. comm. p. 28, ubi Junii conjecturam, qui Nonii p. 231, 30 lectionem: „Lucilius: Andronius f. teget u." corrigendam esse in: „Livius Andronicus c. q. s." conjecerat, satis lepide reppulit. L. Nonianum illud retinuit; sed maiorem sine dubio probabilitatis speciem habet „*Ἄνδρων*" nomen virile saepissime apud Graecos usitatum, quam „*Ἀνδρώνιος*" ejus patronymicum semel tantummodo traditum ap. Keil, inscr. boeot. n. II.

3. Cephalo i. e. *Κεφάλων*, v. 355 (11, 22): „Cassius Gajus, hic operarius, quem Cephalonem dicimus e. q. s." Nomen virile satis cognitum quidem apud Graecos est, quo Lucilius unus inter scriptores latinos per ludibrium utitur cognomine, fortasse sensu nostro: „Grosskopf". (cf. Plut. Per. 3.) Similiter mere latinum voc. „capito" ap. Plaut. Pers 1, 2, 8 (60) et Cic de nat. deor. 1, 29, 80 usurpatum est. — Ceterum lingua latina aliud quoddam subst.: „cephalo" i. e. *ἐγκέφαλον* exhibet ap. Pall. 5, 5, 3.

4. Cyllabarus (vide supra v. Aegialea) ap. L. p. 138. Summa injuria M. h. v. neglexit. Si Papii lexicon gr. sequimur, graecum „*Κυλλάβαρος*" idem est ac „*Κυλλάραβος*" s. „*Κυλλαράβης*" h. e. nomen, ut Hesychius tradit, filii regis Stheneli Argivi, unde gymnasium „*Κυλλάραβις*" s. „*Κυλλαράβης*" appellatum exstitit Argis. Cfr. Pausan. 2, 18, 5. — Ceterum Steph. Thes. Graec. formam *Κυλλάβαρος* ignorat.

5. Collyra (L. p. 51; lib. XVI, frg. I. M.); sic XVI. librum Lucilii inscriptum fuisse sequitur ex Porph. ad Hor. carm. I., 22, 10, ita, ut Lucilii amicae nomen fuisse concludere nobis liceat cum scholiasta et cum Gerlachio (prol. p. LXXVI.), quamvis idem, quum fragmenta ejus libri de ea omnino taceant, unum tamen fragm.: „media e pistrina (449; 16, 17)" ad eam pertinere ridicule conetur conjectare. — *Κολλύρα* nomen muliebre in inscriptionibus invenitur, cfr. Pape, sed „collyra" i. e. *κολλύρα*, nomen appellat. est genus panis significans ap. Plaut. Pers. 1, 3, 12 (92).

6. Gentius (*Γέντιος*) v. 67 (7, 3): „Nunc praetor tuus est; meus (scil. erit), si discesserit horno Gentius". Traditur h. v. ap. Donat. ad Ter. Andr. v. 6 p. 94, ubi codd. „horno gentilis", olim impressi „homo gentili" exhibent. Hoc nom. propr., quod in Graeca lingua e. gr. ap. Diod. Sic. 30, 9; Ael. var. hist 2, 41; Dion. Cass. frg. 66 memoratum invenimus, cum jam Dousa Apuleji adductus loco quodam, quem infra statim laudabo, h. v. restituisset, M. in contextum suum recepit et Dziatzko (Mus. Rhen. 33 p. 110 sq.) probavit. Hunc ipsum quoque in restituendo et interpungendo illo versu, de quo cf. etiam Mus. Rhen. 30, 141, sum secutus. L. retinuit illud „gentilis". — Apulejus quidem libro apol. p. 406 cap. 10: „C. Lucullum („Lucilium" Lipsius), inquit, quamquam sit jambicus, tamen improbarim, quod Gentium et Macedonem pueros directis nominibus carmine suo prostituerit". Quod excerptum Luc. Müllerum ex argumentis mihi quidem ignotis movit, ut etiam v. 240 (7, 1) „hic est Macedo, si agrion (cod. corr. Lugd. „agron"; Gerl.: „Acron"; Düntzer: „Macro", L.: „achrion") longius flaccet" (ap. Non. p. 110, 10) „Gentius" pro „agrion" scriberet. Sed malim equidem de restituenda tali interpretum cruce desperare, quam comprobare Mülleri audacem mutationem, praesertim quum Apulejus non solum ad unum versum 240 (7, 1), sed simul etiam ad illum 67 (7, 3) possit spectasse ita, ut ex altero laudaverit nomen Gentii, ex altero Macedonis nomen.

7. Icadion i. e. *Ἰκαδίων*, v. 1104 (inc. 36) vide Fest. p. 270, 4: „Rhondes Icadionque cum dixit Lucilius, cognomina piratarum (cod.: „quo nomina riparum") posuit, tam infestum sibi corpus et valetudinem referens, quam illi essent (cod.: „levis sed") saluti navigantium". Ita Scaliger partim ad Paul. diac. p. 78: „Icadion, nomen saevissimi piratae" respiciens textum constituit. Versum ipsum Lucilii, quo illa nomina continebantur, periisse quum equidem cum plurimis, e. gr. cum L., putem, alii (cfr. Forc.

lex. tot. Lat. s. h. v.) ex Festi illis verbis restituere et conjungere cum Pauli diac. loco Luciliano (p. 132): „querquera consequitur capitisque dolores“ magis fortasse jocantes, quam serio conati sunt hunc in modum: „querquera consequitur febris capitisque dolores infesti mihi tam quam Rhondes Icadionque“. Ceterum „*Ἰκαδίων*“ formam Pape (lex.) uno comprobat exemplo ex inscr. 2598 sumpto; contra Cic. de fat. 3, 5; 6 e Posidonii libro ejusdem praedonis nominis formas sine variatione lectionis: „in Icadio, Icadii, Icadius“ (cfr. M. comm. ad Lucil. p. 275; L. edit. p. 123) et Serv. ad Aen. 3, 332 filium Apollinis „Icadium“ appellatum proferunt.

8. Musco i. e. *Μύσκων*, v. 970 (30, 127): „et Musconis manum perscribere posse tagacem“. Sic legit (cfr. comm. ad. Lucil. p. 272 et ex Graeco transtulit hoc nomen, de quo nihil me habere compertum confiteor, M. secundum Non. p. 408, 31. — Contra Fest p. 359, 13 et Paul. p. 154 „mutonis“ exhibent, quod L. quidem declarans: „manum, puto, quae quaerat tangere mutonem“ i. e. penem, ita sensu tamen mehercle manente obscurissimo, in contextum recepit, Franckenius in „Muttonis“ mutavit de Q. Muttone, homine sordidissimo, cogitans, cujus Cicero in oratt. pro Scauro et pro Fundanio meminit.

9. Rhondes v. 1104 (inc. 36). Vide supra v. Icadion. Gerlachius scribit „Rondes“, L.: „Rhondes“ uncis inclusum; huc adde, quod M. in comm. p. 276: „O. Müllerus mavult „Rhonches“; mihi neque hujus neque illius nominis praesto sunt exempla, sed ut neutrum a probabilitate alienum esse existimem“. Graeca forma tradita nusquam est.

10. Tricorius v. 529 (26, 64): „at libertinus Tricorius Syrus ipse ac mastigias“. Sic. Gerl. prol. p. XLIV.; O. Ribbeck (Mus. Rhen. 29 p. 118 sq.); M. contra Lachm., qui „tricorius“ praebet uncis inclusum, et Scaligerum, qui sine causa „tricosus“ adjectivum posuit. Concedendum sane nomen propr. virile „Tricorius“ exemplis non esse comprobatum; sed tale esse potuisse et ex Syria per Graecos tralatum esse ad Romanos non vereor contendere. Certe huc non pertinent „*Τρικόριοι*“, Galliae Narbonensis natio, cujus meminit Pape ex Strab. 4, 185; 203; Liv. 21, 31; Ammian. 15, 10; 11; Plin 3, 4, 5, 34.

11. Zopyrion (cfr. infra v. „Zopyriatim“) v. 521 (22, 9): „Zopyrion labeas caedit utrimque secus“ (L.). Cogitandum non est de Zopyro illo Persa, qui ipse se mutilavit, Babylonem ut expugnaret, sed de servo quodam ex Lucilii familia, qui nimio

de Metrophanis collegae morte maerore „labeas cecidit utrinsecus". (Cfr. Nov. ann. phil. 95 p. 799.). „Ζωπυρίων" nominis Pape compluria ex graecis litteris sumpta exempla nobis affert, velut ex Lucian. de merc. cond. 23 aliisque.

Annot.: De ceteris Lachmanni nominibus propriis Lucilianis „Angarius" et „Euplocamo" vid. in hac diss. voc. „angarius" et „euplocamos".

β) Certarum quodammodo Lucilii personarum nominibus huc usque explicatis haec pauca, quae ad oppida pertinent, graecanica adjiciantur:

1. Ecbatana, ae. f. v. 403 (14, 1): „Ad regem legatu' Rhodum Ecbatanam ac Babylonem ibo e. q. s." Quo nomine, cum omnino in Graeca atque Latina lingua plurale tantum sit et altera flectatur declinatione, singulari utitur numero et prima flectit declinatione Lucilius, ut excepto Lachmanno, qui codic. Non. p. 533, 29 lectionem „etbatanam" sine causa in „Ecbatana" mutavit, omnes interpretes cognoverunt.[1] Ceterum Apul. de mundo 26: „Ecbatanas" acc. plur.

2. Dicarchitae i. s. incolae urbis „Dicaearchea (s. — ia)", s. Δικαιάρχεια i. e. Puteolorum, v. 94 (3,18): „inde Dicarchitum (h. e. Dicarchitarum) populos Delumque minorem." (M.) Paul. ex Festo, l. XI. p. 91: „diciarchicum"; Müller ad Fest. et post eum Gerl. in edit: „Dicaearcheum (Δικαιαρχέων), quod Latinum quidem poetam nunquam scripsisse posse, quia — „eum" terminatio non posset contrahi, L. in comm. ad Lucr. p. 193 fusius pleniusque demonstravit; L. ibidem p. 193 et 182 et in edit. sua: „Dicaearchium", ubi „i" litteram ut consonam legi vult; M. tandem in edit. sua et in comm. p. 203, sed diu antea jam Unger:[2] „Dicarchitum", quod equidem maxime probem. Nam primum — „itum" terminatio, quae omnino graecae formae „Δικαιαρχῖται s. — εῖται" compluribus exemplis probatae, scilicet rarius pro Δικαιαρχεῖς usurpatae respondet, lectoris ori magis convenit, quam Lachmanni „Dicaearchjum"; deinde breviorem formam „Dicarch . . ." pro „Dicaearch . . ." eodem certe jure, quo Petronio, Statio, Silio, Sidonio in scribendo oppidi D. nomine placuit, etiam Lucilio tribuere possumus, quin etiam contra Lachmanni sententiam ne minimis quidem causis comprobatam in comm. in Lucr. p. 193.

---

[1]) cfr. Neue (N.), Latein. Formenlehre 1². 480 et Kühner (K.) Ausführl. Gramm. der lat. Spr. I., 115 Anm. 2.

[2]) Analecta Propert. Hal. 1850 p. 8.

b. latina:

α) Ad ea transitum ex graecis praecedentibus optime quattuor nomina faciunt ad similitudinem graecor. subst. patronymicorum ficta (Luc. Müll. d. re metr. p. 389) terminatione „—idas“ s. „—adas“:

1. Apulidas i. e. proles Apuli h. e. Apuliae incolae, s. quidam genitus in Apulia, v. 1112 (3,32): „Apulidae pedibus stlembi“ (cfr. infra v. „stlembus“). Sic scribendum esse M. demum intellexit. Tradit enim Paul. diac. p. 144: „Lucilius pedibus stlembum dixit equum pigrum et tardum“ et Fest. p. 313, 10: „. . . . . . . gravis tar—apulidae pe— cum refer—.“ Hunc Festi locum negligentes cum Dousa et Gerl. p. 91, 92 in editionibus suis simpliciter „Equum pedibus stlembum“ scripsissent, primus et Paulo simul et Festo usus Lachmannus „Apuliden pedibus stlembum“ in contextum suum recepit, et accuratius tandem ipsius Festi secutus lectionem Luc. Müll.: „Apulidae p. stlembi“ constituit (cfr. comm. p. 205). — Ceterum Apulos tardos, pigros, stultos fuisse homines apud multos scriptores legimus e. gr. ap. Plaut. mil. 3, 1, 52 (654). Quorum quidem nimiam stupiditatem Lucilius l. l. sine dubio per ludibrium etiam in equos in Apulia educatos transtulit.

2. Tuscolidas v. inc. 24 (1094), i. e. proles Tusculi urbis a Lucilio jocose in personam constitutae. Versu: „prima Papiria Tuscolidarum“ (M.) Ita ex scholiastae Bobiensis ad Plancianam Tullii p. 254, 17 annotatione de Tusculanorum livore verba Lucilii parum diligenter tradita: „p. P. tu solidarum“, quae L. in: p. P. tu stolidarum“ mutaverat, satis probabiliter correxisse et ad Tusculanos, de quibus totus scholiastae locus agit, rettulisse mihi videntur Wunderus et Luc. Müllerus. Cfr. comm. p. 273, ubi plura de ipsa voce invenias. Tusculanos autem in tribu Papiria fuisse novimus ex Liv. l. 8, 37. — Ceteroquin ad sententiam L. affert Hor. serm. v. II., 1, 69: „Primores populi arripuit populumque tributim“ et scholiastae Persii verba ad sat. 1, 115: „Urbem autem ideo dixit „secuit“, quia tribus omnes triginta quinque laceravit, ex quibus urbs tota constat“.

Annot. 1. Luciliades; verbum est Servii s. Sergii ex explan. in art. Donati l. I. (gr. Lat. IV., 527), ipsi Lucilio, nescio an jure, tributum a Luc. Müllero p. 159 edit. suae, quo qui dubitant delego. Lachmannus omisit.

Annot. 2. Huc pertinet etiam „Scipiadas“ 1014 (inc. 6) vocabulum ejusdem generis a Lucilio fictum, quod tantum-

modo similitudinis causa hic obiter memorare mihi liceat; est enim non *ἅπαξ λεγόμενον*, cum posteri velut Lucr. 3, 1032, Hor. sat II., 1, 17 et 72; Claudian. laus Seren. Reg. 42; Virg. Georg. 2, 170; Prop. 4, 11, 67, Manilius eo usi sint.

β) Reliquorum nom. propr. latinorum unum modo inveni, quod Lucilius solus videtur usurpasse; exstat enim neque apud eos, quos non paucos evolvi scriptores, neque in lexico ullo nom. propr.

P a v u s v. 391 (14, 19): „Publiu' Pavus mihi Tuditanu' quaestor Hibera in terra fuit e. q. s.;" quod quidem voc. Gerl. prol. p. XLI. a pavonibus alendis vel saginandis ortum esse existimavit; Luc. Müll. omnino de h. v. tacet. — Ceterum agi de Sempronio quodam sequitur ex cognomine „Tuditanus", de quo L. comm. p. 236. De forma subst. appellat. „pavus" pro „pavo" cfr. in universum N. I., 610.

Annot. I. Interpretum illa crux v. 870 (30, 105), quam Nonii codd. p. 83, 12 exhibent: „mensulibano", a Gerlachio in contextum recepta, a Düntzero perperam neglecto versus fine in „mensa Libano", a Franckenio probabilius in „mensa Sabino", maxima cum probabilitate a Scaligero et Lachmanno in „mensa Liboni" correcta mihi videtur esse, ita, ut unum ex Scriboniis, velut L. Scribonium Libonem trib. pleb. a 605 (149), quem equidem proponam, in animo habuisse Lucilium verisimile fiat. Contra audacissimam illam Luc. Mülleri conjecturam: „mers Libiteinai" pro „mensulibano" optime Quicheratius[1]) et Franckenius[2]) reiecerunt.

Annot. 2. Versu 1177 (inc. 61) a Porphyrione ad Hor. serm. I., 7, 23 et brevius a comment. Cruqu. p. 383b tradito (ubi in Mon. et lib. vet. Danielis „Nostius", in Paris. „noscit", in Bern. „nostis", v. „nostris" legitur), L. retinuit „nostris", fortasse recte. M. „Nostius" nom. propr. satis obscurum et certe *ἅπαξ λεγόμενον* posuit, pro quo „Hostius" nescio an melius conjiciam: „. . . . ut Hostius dixit haruspex." Cogito enim de Hostio poeta epico VII. saeculi.[3]) Praeterea „haruspex" pro „vates" etiam ap. Prop. 3, 13, 59 et Iuv. 6, 548 dictum invenimus.

---

[1]) Quicherat (Q.), Révue archéologique, 34, 1877.

[2]) Francken (F.), Mnemosyne 1873 p. 285.

[3]) cfr. Weichert, poetarum lat. Hostii, Laevii, cet. reliq. coll., Lips. 1830.

Annot. 3. Quod Herwigius[1]) p. 20 explicans Quintilianum, quidquid ex scriptis Lucilii attulerit, non aliunde, sed ex Lucilio ipso hausisse, dicit: „Q. ex Lucilio nomen affert Vettii („Vetticii?“) I., 5, 56 inst, de quo ab aliis scriptoribus nihil traditum est“, hoc saltem apparet, hunc Vettium (L. p. 137; M. inc. frg. CXXIII.), unum ex proavis eorum fuisse Vettiorum, quos ap. Sen. apoc. § 13 ed. Büch.; Iuv. 7, 150; Sueton. ed. Roth p. 8, 18; 25. 10, 15; 21. ap. alios commemoratos reperimus.

Ceterum de falsis nom. propr. „Piscinensis“ et „Vatia“ cfr. infra subst. appellat.: „pisc. . . .“ et adj. „vatrax“; de „Anchario“ vide subst.: „angarius“; de „Moetino“ subst.: moetinus“. „Lateralis“ 1153 (susp. 3) ap. Lachm. haud dubie typographicum mendum pro „lateralis“ est.

B. Nomina appellativa.

a. graeca.

De vocabulis Graecis acturus, quot quidem inter Latinos scriptores apud Lucilium solum extent tradita, universe, ne multus sim neve obvia plerisque ac trita recoquendo molestus fiam, hic semel ad ea rejectum volo lectorem, quae omnino de Lucilii vocabulorum Graecorum usu scripserunt hi viri docti: Gerl., Lachm., Luc. Müll., Bouterwek, Francken, Herwig, Triemel, Zawatski.[2])

Atque optime omnium multis saeculis ante jam Quint. inst. 1, 5, 55: „Verba, inquit, aut latina aut peregrina sunt. Peregrina porro ex omnibus prope dixerim gentibus, ut homines, ut instituta etiam multa venerunt. Sed haec divisio mea ad graecum sermonem praecipue pertinet: nam et maxima ex parte romanus inde conversus est et confessis quoque graecis utimur verbis, ubi nostra desunt, sicut illi a nobis nonnunquam mutuantur.“ Quibus ab ipso Romano cum summatim conceditur Graeca Latinis miscere

---

[1]) Herwig, Horatius quatenus recte de Lucilio judicaverit, diss. Hal. 1873.

[2]) Gerlach, prol. edit. suae p. CXV. sq. Lachmann, opusc. II. p. 73 sq. Luc. Müller, de re metr. p. 38 sq. Bouterwek, Philol. XXXII., 1873. Francken, Mnemosyne l. l. p. 252. Herwig, diss. p. 22 sq. Triemel, Ueber Lucilius und sein Verhältniss zu Horaz, Progr. Kreuznach 1878. Zawatski, quatenus in satiris Horatius videatur imitatus esse Lucilium, diss. Hal. 1881 p. 7 aliique multi, velut Mommsen, Röm. Gesch. Bd. I.

Romanorum omnino fuisse consuetudinem, tum duo vocum graecarum genera: verba Graecae originis jam trita pro Latinis indutaque Latino habitu et colore et verba mere planeque Graeca forma non mutata apud Romanos extitisse simul confirmatur.[1]) Sed, id quod prima specie maxime miramur, tota illa res, quo magis inde ab initio perspicua erat et quasi sancta omnibus omnium temporum scriptis Latinis, quae aetatem tulerunt, eo vehementius tamen, quod ad Lucilium attinet, viros doctissimos etiam atque etiam movit nec desinet eos, ut facile vereor, movere ea tantummodo de causa satis cognita, quod Horatius, gravissimus ille ut aliorum ita Lucilii praecipue judex criticus, sat. I., 10, 20, ubi omnino ejus dicendi genus minutius carpit, quendam induxit exclamantem et quasi gloriantem de Lucilio: „At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis miscuit!"

Quo de dicto quid partim cum aliis istis, quos supra memoravi, partim meo ipsius jure cogitem, nunc jam brevissime omissis omnibus, quae ad Horatii causas[2]) consiliaque judicandi Lucilii pertinent, exponendum existimo.

Ac primum ex universo illo quem jam ostendi Graeca Latinis miscendi more haud dubie apparebit, Lucilium neque unum solum inter omnes scriptores Latinos neque eo consilio semper sibi proprie proposito et ante oculos obversante, ut fieret „sermo lingua concinnus utraque suavior, ut Chio nota si commixta Falernist," Graeca vocabula satiris suis inseruisse. Immo nationis suae temporumque secutus usum sibi quoque innatum atque insitum et ipse „Graeca Latinis miscendo", si veram rei rationem exigis, nihil aliud fecit, quam et majores ausi erant et aequales sui et posteri fecerunt. Illud modo dignissimum est memoria, ut M. l. l. recte dicit, verborum Graecorum, si propria aut technica exceperis, omnino copiam majorem, quam apud recentiores, inveniri in libris eorum, ad finem saeculi a. u. c. VII. qui vixere. Et hoc quidem simul et popularis communisque sermonis sic quoque divitis vocabulis Graecis usu et insuper nimia illa immodestaque fere, quam tum quam maxime novimus viguisse, studiorum Graecorum jactantia evenit. Quae qualis fuerit, quibus ex causis orta, quatenus progressa, quando finiri coepta sit, vix melius quisquam explicet, quam Mommsen (lib. I. Röm. Gesch.), Corssen l. l.,

---

[1]) Cfr. Corssen, Ausspr., Vocalismus u. Betonung der lat. Sprache II., 225 sq.

[2]) de quibus cfr. e. gr.: 1) O. Lutsch, Einige Bemerkungen über Veranlassung und Zweck der Urtheile des Horaz über die alten römischen Dichter. Progr. Elberfeld 1880. 2) Triemel, l. l. 3) Herwig, l. l. 4) Barkholt, Horatii de veteribus Romanorum poetis sententiae, Progr. Warburg 1876.

Jordan, krit. Beitr. p. 335 sq., quos, qui plura desideret, consulat. Hic certe satis est posuisse, istius (scil. jactantiae) vi, cui nemo nobilis atque honestus illis temporibus constanter potuit resistere, etiam Lucilium adolescentem necessario ductum esse et raptum et cotidie exercendo atque tractando multa vocabula Graeca usitatiora sibi fecisse atque tritiora, ita, ut sensim in plurimis dedisceret offendere plurimaque ejusdem peregrinae originis iis, quas primas condidit, satiris jambicis trochaicisque (lib. XXVI. — XXIX.) non dubitaret miscere, quae ipse postea parum decori esse linguae Latinae mirum quantum cognovit. — Longius enim aetate provectus, cum Accius tandem corrupti patrii sermonis miseritus primos ejus purgandi, restituendi, novandi fecisset conatus, Lucilius quoque, nescio Accii nonnullis iratus rebus novis erroribusque an sua ipsius sponte, toto animo corrigendae eruditorum imprimisque poetarum orationi coepit se dare gravissimoque emendatoris judicisque studio maxime et antecedentium et aequalium suorum civium „graecomaniae“, quam dicimus, i. e. graecanicarum artium affectationi resistere, irridere, quantum potuit, temperare. —

Sic igitur mea quidem sententia (praeterquam quod, dum versus funderet, et pervagatis cotidianae vitae vocibus Graecis versantibusque semper in omnium oribus Romanorum et terminis technicis ex Graeca lingua sumptis physicorum, philosophorum, rhetorum, poetarum et versibus, sententiis, singulis vocabulis veterum Graecorum poetarum haerentibus in memoria vel occasione data in mentem occurrentibus [de quibus optime Herrwig l. l.] Lucilium usum esse et uti debuisse, satirarum ut erat auctor, perpetuo respiciendum nobis est), duas Lucilii ut poesis ita „Graecitatis“, ut ita dicam, discernentes aetates, (alteram priorem annis insignem iambicis trochaicisque metris plurimisque simul vocabulis Graecis, et alteram posteriorem hexametris contentam instructamque minore vocum Graecarum numero) jam inconstantiae crimen, quod ipse, quamvis saepissime civibus suis illuserit graecissantibus, satis effuse Graecis Latina innexuerit, afferre poetae nostro desinemus. —

Nunc, cum ad tempus reliqua omittam Lucilii genera verborum, redeo ad ejus substantiva Graeca iis neglectis, ut propositum mihi est, quae apud alios quoque Latinos inveniuntur scriptores. Sunt illa, id quod nemo dijudicare poterit, aut casu singularia facta aut certo quodam consilio a posteris evitata haec:

α) *ἀρχαὶ* i. s. initia s. principia rerum, v. 693 (28, 4): „. . . . *ἀρχαῖς* hominem et *στοιχείοις* simul privabit e. q. s.“

De sententia hujus fragmenti ad philosophos pertinentis vide M. comm. p. 255, L. comm. in Lucr. p. 170, Studemund, Phil. Anz. 32, Studemund, Studien I. p. 11 sq.; praeterea Franckenii, Mnemos. l. l. p. 277 satis inutiles conjecturas. Utuntur h. v. Aristoteles aliique Graecorum philos. Quomodo differat a „στοιχεῖα“ statim infra sub h. v. exponam.

στοιχεῖα (sic M. 28, 4; 6; 8.) s. stoechia[1]) (L. 693, 695, 697) h. s. elementa s. *ῥιζώματα,* ut Empedocles primus quattuor illa: „tellurem, aquam, aerem, aetherem“ appellavit; v.: „. . . *ἀρχαῖς* h. e. *στοιχείοις* privabit; igni cum et aqua interdixerit duo habet *στοιχεῖα* . . . . posterioribus *στοιχείοις,* si id maluerit, privabit tamen“. Vide quos supra memoravi scriptorum locos. — Cfr. Plat. polit. 278, c.; Polemon. ed. Orelli 1, 11; Xen. Memorab. 2, 1, 1; aliosque. Suidas s. v. *ἀρχή:* „*διαφέρουσι δὲ ἀρχαὶ καὶ στοχεῖα· τὰς μὲν γὰρ εἶναι ἀγενήτους καὶ ἀφθάρτους, τὰ δὲ στοιχεῖα κατὰ τὴν ἐκπύρωσιν* (scil. *τοῦ κόσμου*) *φθείρεσθαι. ἀλλὰ καὶ ἀσωμάτους εἶναι τὰς ἀρχὰς καὶ ἀμόρφους, τὰ δὲ μεμορφῶσθαι.*“

γῆ h. e. tellus, unum ex quattuor illis elementis, v. 696 (28, 7): „*γῆ* corpus, animast *πνεῦμα*“. Restituit Dübnerus, cum Probi ad Virg. ecl. 6, 31 p. 18 (ed. Keil), qui totum hunc locum Lucilianum nobis tradidit, cod. Parisiensis praebeat: „uti corpus“, Vaticanus „tum corpus“.

πνεῦμα cfr. *γῆ*. Adj. „pneumaticus“ exhibent Plin. et Vitruv.

β) Quibus philosophorum verbis nonnulla rhetorum optime adduntur:

cacosyntheton i. e. mala seu deformis compositio h. e. vitium sermonis ex indecenti structura verborum (sic Gessnerus), v. 330a (9, 29): „r nonnullum habet hoc cacosyntheton; utque canina sic lingua dico „nihil ar me“ e. q. s.“ Sic enim cum Dziatzkone et Luc. Müllero legendum puto (cod. Vel. Longi p. 2213: „a re non multum abest.“); L. Schmidt et Gerl.: „hoc non multum abest cacos . . .“; Lachm.: „a r non multum abest hoc c. . .“; Corssen: „a Re non multum abest R, Hoc cacos. . . .“ De ipsa hac rhetorica figura conf., quae Grammatici, velut Quint. 8, 3, 59; Charis. 271, 22; Serv. ad. Aen. 9, 610, qui h. voc. omnes Graecis scribunt litteris, aliique scrips.[2]) — Eodem sensu

---

[1]) annot: Quod ad transcriptionem Graecorum vocabulorum modo adhibitam modo intermissam attinet, hanc quidem plerumque minoris esse momenti Franckenio l. l. p. 202 assentior: „nam ubi ad lectionem constituendam non conducunt, parum refert, utrum Graecae an Latinae scribantur litterae.“

[2]) Vide etiam Saalfeld, (S.) index graecorum vocabulorum in linguam Latinam translatorum, p. 19.

κακοσυνταξία ap. Eustath. — Ceterum in Graecorum scriptis numquam subst., sed solum adj. *κακοσύνθετος* ap. Lucian. calum. c. 14; schol. Eur. or. 674; schol. Arist. Vesp. 818 aliosque posteros, adv. *κακοσυνθέτως* ap. schol. Eur. Hec. 801 invenimus.

λέξεις (M. inc. 33) s. lexeis (L. 993) h. e. plur. vocis *λέξις* versu: „Quam lepide *Λέξεις* compostae, ut tesserulae, omnes arte pavimenti atque emblemati' vermiculati!" Est fragmentum sexies sive devincta sive soluta traditum oratione, optime expositum ap. Cic. de orat. III., 43, 171, ubi „lexeis" („ex — is" cod. Abrincensis; Erlang.: „ex hys"; in aliis aliter peccatum est) lectio est usitata. Non. 188, 24: „lexis"; Cic in orat. 44, 149: „*Λέξεις*"; Quint. 9, 4, 113: „lexis". — Vide Charis. 279, 23 et 283, 16 et Donat. 397, 5. — cfr. S. ind. p. 48 et N. I., 250.

τεχνίον i. e. bellula s. praeclara ars (Steph.) v. 157 (5, 12): ... hoc „nolueris" et „debueris" te si minu' delectat quod *τεχνίον* Eisocratiumst e. q. s. (L.)" Libri Gellii XVIII., 8, cui versus illos debemus Lucilianos, „atexnon" exhibent, ex quo Scaliger diminutivum illud *ὑποκοριστικῶς* usurpatum vocis *τέχνη* (techna s. techina saepe ap. Plaut. et Ter., cfr. Rönsch p. 250[1]) restituit. — Ad sententiam et notionem hujus voc. vide Gell. l. l., M. comm. p. 211; F. l. l. p. 257. — Ceterum „*τεχνίον*" inter scriptores Graecas Antidotus ap. Athen. 6. p. 240; Diphil. ibid. 2, p. 55; Plat. rep. VI., 495d; Dio Cass. 63, 27; schol. Arist. nub. 508 usi sunt.; denique Sueton, Nero c. 40. hujus imperatoris prodit vocem quandam celeberrimam, quam dicit, nescio unde sumptam: „*τὸ τέχνιον ἡμᾶς διαθρέψει*", quae quo referenda sit, toto loco illo apparet.

zetematium i. e. quaestiuncula v. 602 (26, 33): „si quod verbum inusitatum aut zetematium offenderam". Ad h. v. vide Gerl. prol. p. XXXIV. Exstat praeterea hoc v. diminutivum nusquam nisi „*ζητημάτιον*" ap. Libanium (vol. 4, p. 639, 5); „zetema" in inscr. Muret. 1282, 11 invenimus. —

γ) Huc reliqua accedant haec:

γ[1]) *abstracta: ἀπεψία* i. e. difficultas concoquendi s. cruditas. v. 810 (28, 39): „at cui? quem febris una atque una *ἀπεψία* vini, inquam, cyathus unus potuit tollere". Desideratur h. v. ap. alios scriptores Latinos; contra Plut. mor. p. 127 D. et 128 B.; frg. comic. ed. Meineke vol. 4, p. 621: Aristot. de partt. anim. 3, 5 med; meteor. 4, 3; problem. 34, 1; Galenus saepissime usurpant.

---

[1]) H. Rönsch (R.), Itala u. Vulgata, das Sprachidiom der urchristlichen Itala u. s. w., Marburg 1874.

Apud Catonem (de r. r. 127, 1) „dyspepsia“ eodem fere sensu inveni adhibitum.

chresis i. e. usus fructus, v. 665 (27, 7):

„Cum sciam nil esse in vita propium mortali datum,
jam qua tempestate vivo, chresin ad me recipio.“

Qua admirabili conjectura, quam Francken. l. l. p. 275 satis rustice irridet (nec tamen elegantiorem quandam potest supponere!) Lachmannum[1]) optime restituisse contextum, cum Nonii p. 407, 28 codd. Guelf., Lugd. I. et II., Bamb. exhibeant „certe sine ad me“, Turic. „certe ad me sine“, Palatin „certe finem“, cum plerisque mihi quoque clarius solis luce est. — Vocabulum notum est ex scriptoribus Graecis; quin etiam ap. Cic. ad fam. 8, 7, 29 proverbium illud graecum tritum sermone „*χρήσει καὶ κτήσει*“ reperitur.

ἐπίτευγμα h. e. successus, proventus, v. 730 (29, 16): „◡—◡— cui fiderem vitai meai *ἐπίτευγμα*, eependi longe opera ante alia omnia“ (M.) Haud dubie difficillimus et vexatissimus Lucilii locus mihi videtur esse. Nam Nonii p. 339, 9 codd. quasi monstra exhibent haec lectionis: „cui ubi derim (sic. Guelf. et Lugd. I., „derim“ Bern. II. et Gen.) inutia meae (sic Guelf. et Lugd. I., „in vita meae“ Bern. et Gen.) epitegma (sic Lugd. I.; „epigma“ B.; „epitagma“ Gen.) apepelli (sic omnes codd.; exc. B. „apelli“) longe e. q. s.“ Lachmanus hic omnia, quae incurabilia ei visa sunt, usque ad „longe e. q. s.“ uncis inclusit; nec Luc. Müllero locum restituere contigit; unum autem illud voc. „*ἐπίτευγμα*“, quod etiam O. Ribb. (Mus. Rhen. N. F. 29 p. 122), alia cum funditus commutet, probat, recte ab eo constitutum esse ex eo effici mihi videtur posse, quod verba brevi antecedentia, sive „vitae“ cum G., s. „in vita“ cum O. Ribb., s. „vitai“ cum M. corrigimus, utique vestigia vocis „vita“ continent, ita, ut de successu s. proventu vitae dixisse poetam optime arbitremur. Contra minime, quod G. in contextum recepit „epitagma“ i. e. jussum, ad sensum quadrat. — Ceteroqui comprobato illo vocabulo Diod. Sic. 15, 6; 16, 105 saepiusque, Diog. Laert. 8, 57; Dius in Stob. flor. 65, 17, alii utuntur Graeci.

γ^2) *concreta:* arutaena i. e. vas ab hauriendo „*ἀρύτειν* s. *ἀρύειν*“ sic appellatum (Forc.) v. 1, 41 (Lachm. „aput tene“ v. 38), apud Charis. 118, 29 ed. Keil: „Lucilius libro I. satirarum „„arutaenaeque,““ inquit, „„aquales““. Paul. diac. 21: „ary-

---

[1]) cfr. proem. lect. aest. univ. Berol. a. 1851, p. 5. Kleine Schriften zur class. Philol. p. 76.

taenam s. artenam vas ab hauriendo sic appellabant". Unde modo hunc, modo illum secuti Dousa: „arutaenaeque et aquales". G.: „arutaenae quae et aquales", O. Ribb. l. l. p. 122 sqq.: „arutaenae nunc quidem aquales", M.: „artaenaeque et aquales" conjecerunt. Lachm.: „aput tene, inquit, aqualest?" Equidem rectissime omnium Keilium legisse ratus propter Charisii majorem certe auctoritatem, verba illa Lucilii olim non conjuncta fuisse in versu Luciliano putem. Cfr. Löwe[1]) p. 313, qui Philoxeni paucas glossas huc pertinentes affert, et S. p. 5 Graecum „ἀρύταινα" ap. Ar. Eq. 1087 et schol. ad h. l.; praeterea ap. Theophr. char. 9, 3 et Poll. 7, 166 et 10, 63 invenitur; adj. ἀρυταινοειδής ap. Galen.

catapeirates i. e. perpendiculum scil. funiculo aptum ad explorandam altitudinem maris (Gessn.) v. 1021 (3, 43): „huc catapeiraten puer eodem deferat unctum, plumbi pauxillum rudus linique metaxam." (L.) Traditum est ap. Isid. orig. XIX., 4, 10, ubi in ejusdem lemmate codd.: „catasiorates, catapioratis, cataportantem, cataparatem," in versu Luciliano iidem „cataporatem, catapertem, cataportantem, cataparatem" exhibent. Ex qua lectionum copia cum Lindenamnus in edit. Isid.; G. inc. 11; S. p. 21 finxisse Lucilium verbum „cataprorates" h. e. plumbum sic appellatum, quod κατὰ πρῶρας demitteretur, quod verbum apud Graecos scriptores non invenitur, credidissent, Lachmannus tandem et Luc. Müllerus veram nativamque, ut equidem puto, formam, quam supra posui, restitutam in contextum receperunt. — Habent quidem Graeci, quorum nunc exstant libri, velut Hesych., non „καταπειρατήν", sed modo „καταπειρατῆρα"; ac tamen, ut M. ait in comm. p. 205, illa forma neque ratione neque probabilitate destituitur. Cfr. etiam καταπειρητηρία ap. Herod. 2, 5, 28. Ad sententiam vide O. Keller, Neue Jahrb. für Phil. et Paed. 109 p. 271 et Bouterwek l. l.

clinopodes i. s. pedes lecti v. 35a (1, 43): „porro clinopodas lychnosque, ut diximu', σεμνῶς anti „pedes lecti" atque „lucernas" —⏑⏑—⏑". Quibus verbis ap. Macrob. sat. 6, 4, 18 traditis vix dubium, ut jam M. adnotavit, quin Ennii s. Pacuvii derideatur consuetudo vocabulis Latinis substituendi Graeca, ut grandius quiddam sonet oratio. Cfr. comm. p. 198; S. p. 24; Mus. Rhen. 24 p. 140; accuratissime G. prol. p. LI. — Graecum κλινόπους ex Themistio, Geopon. 13, 9, 9, Etymol. magn. p. 425, 28; Hesych. a Stephano affertur.

---

[1]) Löwe, prodromos corporis glossariorum latinorum, Lips. 1876.

chlaena i. e. $\chi\lambda\alpha\tilde{\iota}\nu\alpha$, v. 20, 7: „chlaenam desuper indutam foedavit". G. hoc fragmentum a Tortellio ex Lucilio servatum et ab Henr. Düntzero rursus inventum sub „Addenda" p. CLI. sine ulla dubitatione in editionem suam recepit, L. omnino neglexit, M. uncis quidem inclusum contextui inseruit, ita tamen, ut certis, non dubiis aut magis suspectis Lucilii reliquiis tribueret. Quare ego quoque hic occasione data nec fragmentum nec voc. illud vereor memorare. Quod quidem nusquam praeterea ap. script. lat. exstat, quamquam Cic., Brut. 14; Varr. d. l. l. 5, 133 aliique utuntur voc. „laena", de quo cfr. Fleckeisen, Jahrb. für Phil. etc. 1866, 93 p. 3; Becker, „Gallus" III. p. 126 sq.; S. p. 46.

chirodyti i. s. manicae v. 66 (2, 26): „chirodyti aurati, ricae, thoracia, mitrae" (M.) Codd. Non. 539, 17 „hrodeti" Bamb. et Lugd. 2; „hrodyty" Lugd. I.; „hyodyty" potius quam hrodyty" Guelf. exhibent; L. cum de genuina scriptura restituenda desperaret, [hyodyty] in contextu posuit; Boeckhius audacter „ὑσκλωτοὶ", qui sunt calcei obstrigilli; Schmidt „hypodyti" i. s. tunicae quaedam sub thorace gestae, perperam, quod metro h. v. repugnat; M. tandem Gerlachium, qui „χειροδυταὶ" proposuerat, secutus „chirodyti" h. s. manicae conjecit. Quod quidem satis bene et ad Lugd. I. quadret lectionem et ad totius fragmenti a M. optime restituti sensum. Cfr. G. ad frg. 2, 12; O. Ribbeck., scaen. poes. rel. II. p. 85, qui Luc. Müllero assentitur; S. ind. 22. — „chirodyti" graecum voc. est ad similitudinem vocum „ὑποδυτὴς", quo Plut. Philop. 11 et Diod. Sic. 17, 44 utuntur, et adj. „χειριδωτός" (Her. 7, 61) i. e. manicatus fictum aut a Lucilio aut a Graecis ipsis, quorum in scriptis nobis quidem servatis desideratur. Qua de causa F. l. l. p. 256 injuria, ut opinor, Luc. Mülleri irridet conjecturam.

mucus i. e. μυχός, angulus, v. 949 (30, 48) „omnia tum endo mucô videas fervente micare". Ex „tumendo muco", quod codd. Non. p. 347, 32 exhibent, Turnebus recte: „tum endo μυχῷ" restituit, h. e. reservata codicum transcriptione Latina: „t. e. mucho", ut G. scripsit, vel „muco" ut L. et M. (cfr. comm. p. 215). Lucilius enim utrum consonarum admiserit aspirationem necne, in tanta VII. saeculi conturbatione dijudicari nequit. M. illud Homeri affert: „μυχῷ δόμου ὑψηλοῖο"; similiter Odyss. 5, 226; 15, 303; 23, 41; Il. 22, 440 saepius. — Cfr. etiam K. I. p. 621 et M. comm. p. 268. — Quod ad sententiam hujus versus attinet, nugari Nonium, qui „micare", ut saepius, idem esse ac „per vices sine ordine moveri" h. e. „concursare" dixerit, contra M.

negem, cum haec significatio optime ad sensum vocis „fervere“ i. e. „scatere“ s. „refertum esse“ quadret.

psila, ae, i. e. tegimen una parte villosum, altera rasum, v. 35 (1, 28): „psilae atque amphitapoe villis ingentibu' molles“. Glossae Labbaei: „auleum: ψιλή;“ simili sensu et usu ap. Graecos adj. „ψιλός“, velut ap. Hom. Od. 13, 437 et Ar. Thesm. 227: δέρμα; ψιλαὶ περσικαὶ ap. Ath. 5, 197b. — Cfr. S. ind. p. 69.

stomis, idis, v. 429 (15, 17): „truleus pro stomide huic ingens de naribu' pendet“. Codd. Non. p. 22, 25: „Postomis dicitur ferrum, quod ad cohibendam equorum tenaciam naribus vel morsui imponitur, graece, ἀπὸ τοῦ στόματος. Lucilius: t. postomide huic e. q. s.“ Hic pro mutilatis lectionibus „postomis“ et „postomide“ una littera addita Graecum compositum „προστομίς“ facile restitui posset, si sensum totius versus sic magis perspicuum fieri constaret. Qua spe deceptus jam Salmasius feliciter „postomide“ in „pro stomide“ mutavit et discidit, scilicet ita, ut in lemmate Nonii „stomis“ pro „postomis“ scribatur. „Στομίς“ servatum nobis est ap. Hesych. et ap. Poll. 10, 56, ubi, quod nostro quoque loco melius convenit, tibicinis fasciam e corio factam, quam ori apponere solet, significat. — Ceterum videnda, quae M. in comm. p. 238 explicat. — Cfr. S. ind. p. 77.

thauma i. e. miraculum, v. 201 (6, 20): —◡◡ —◡◡ „thauma mega“ inquit balba sororem lanificam dici, siccam atque abstemiam ubi audit“. Pro Non. 68, 26: „thaunomeno“ vel „thaunumeno“, quod sensu omnino caret, Mercerius (ap. G. p. LXIII.) „chaunomene“ i. e. „χαυνουμένη“ verbi quod est „χαυνοῦμαι“ h. e. „superbia inflatus sum“ conjecit metro dactylico mirum in modum neglecto; Düntzer „θαυμαστῶς“ vel „θαυμασίως“ perperam ob eandem causam: rectius Maur. Haupt (Philol. II., 489, Opusc. I. 202) „thaumaeno“ i. e. θαυμαίνω (θαυμάζω) ap. Hom. Od. 8, 108; Pind. Ol. 3, 34; Callicrat. Stob. flor. 85, 17 traditum, quod quidem nostro loco penitus caesuram tolleret. Quo vitio vitato L. (prooem. lect. aest. univ. Berol. 1851, p. 3, Kl. Schr. p. 73) „thauma men“ et rectissime, quod optime syllabarum litterarumque mutilatae vocis „thaunumeno“ respondet numero, M. „θαῦμα μέγα“ restituit. — Cfr. Lachm, l. l.: „balba mulier dicitur, quae cum graecissaret illas in theta litteras delicias ab ore Latino alienas adfectaret“; Maur. Haupt. l. l.: „Zu der Ziererei der Aussprache, die balba bezeichnet, passt die Ziererei des griechischen, natürlich ironisch gemeinten Wortes“: M. comm. p. 215.

tocoglyphos i. e. qui tabulis insculpit nomina eorum, quibus pecunia fenori credita est i. e. fenerator, v. 435 (15, 24): „ac de isto sacer ille tocoglyphos ac Syrophoenix quid facere est solitus?" Codd. Nonii p. 397, 20 exhibent haec monstra: „illoto colfo saxsiro fenix" vel: „illoto colfo saxyro phoenix", ex quibus Junium voc. „ille", Rothium voc. „τοκογλύφος", Turnebum voc.: „ac Syrophoenix" restituisse M. adnotat. — „τοκογλύφος" ap. Philodem. 32 (9, 520); Luc. vit. auct. 23; Plut. Mor. p. 18 E. (p. 41 ed. Hercher) aliosque invenimus et inde verb. „τοκογλυφεῖν" derivatum est, quo Luc. conv. 36 saepiusque; Plut. mor. p. 34 D. (p. 79 ed. Herch.); Poll. 3, c. 9 utuntur. — Simili sensu „tocullio" ap. Cic. ad Att. 2, 1 § 12 reperitur. — Cfr. e. gr. voc. jocose fictum „τυρογλύφος" ap. Hom. Batrach. 137.

Annot I. Omittere nolo Loewium (in prodr. p. 332) novum invenisse fragmentum, quod argumentis quidem gravibus perspicuisque, sed tamen incertis non sine dubitatione Lucilio ascribit. Nam „inter Placidi, inquit, glossas haud paucas Lucilianas esse, cum demonstraverimus, vide num novum poetae fragmentum in hac agnosci possit: Placid. 55, 25: juvenale phaos (libri: pharos) i. e. φαός: semper virens et nunquam senescens lumen, ut si de sole dicamus. — Habes rhythmum dactylicum, ut videtur, et vocem graecam inter Latinas insertam." Quod memorasse hic equidem satis habeam.

Annot. 2. Duo substantiva, quae, si Lucilius iis re vera usus esset, itidem *ἅπαξ λεγόμενα* essent in lingua latina, contra Luc. Müll. a Lucilio abjudico:

[1]) aristophorum, lib. 3, 58 in fragmento a Paulo diac. 27 tradito: „aristophorum vas", quod solus M., quamvis Lucilii esse nusquam affirmetur, non caute capite, cui inscripsit „Dubia" (p. 158 edit. suae), audacissime vero libri tertii contextui inseruit ceterum iisdem atque Löwius (vide supra) usus argumentis. Ac primum haec mihi non ita sufficiunt, ut Lucilio atque adeo certae ejus satirae vocabulum *ἅπαξ λεγόμενον* tribuam. Deinde — quod maximum est — verba illa: „aristophorum vas" ex versu alicujus poetae sumpta esse omnino nego, cum potius: „aristophorum: vas" scripsisse et interpretatum esse Paulum conjiciam.

[2]) cline (M. 30, 40); exhibent enim Nonii codd. p. 234, 31: „unus consternit novis vetu 'restibus aptus"; hic tantum-

modo pro „consternit“ Lachmannum (v. 895) secutus scribam: „consterni“, ut facillime hic restituatur sensus: unus vetus (scil. grabattus: quod v. fortasse in anteced. versu positum erat; vide Lachm. edit. p. 98) novis restibus reparatus et aptus ad consternendum (cfr. Ovidianum illud: aetas mollis et apta regi pro: „ad regendum“). Praeter necessitatem igitur, ut O. Ribbeck, Mus. Rhen. l. l.: „vellus . . . . . aptum“, sic M. in comm. p. 268: „clinas . . . . aptus“ pro cod. lectione „unus . . . . aptus“ conjecit. Dignum quoque memoria est, Franckenium l. l. p. 285 respicientem ad illud: „unus . . . . aptus“ emendare conatum esse: „unus consternit novu' vectis restibus aptus“, quod quidem me non intellexisse profitear.

annot. 3. Quinque substantiva, quae semel modo in lingua latina, scilicet ap. Lucilium solum inveniuntur, continentur versibus ex scriptis Graecis a Lucilio sumptis. Sunt:

acoetis, v. 473 (17, 5) ex versu Odyss. XI., 266.

ἄλγεα, v. 1055 (apud L. omittitur), in versus fine saepissime ab Homero adhibito: „*ἄλγὲ ἔθηκεν*“.

alochos, v. 28 (1, 25) ex v. Iliad. XIV., 317.

χόλος, v. 29, 13 (om. apud Lachm.) ex vers. Eurip. Cresph. frg. 459 ed. Nauck.

νεκύς (14, 7) 402 ex vers. Odyss. XI., 491.

annot. 4:

[1]) De vocibus graecis „cala, scuta, chartus, lymphor“ vide infra.

[2]) De voc. graec.: „camphippelephantocamelos“ et „moechocinaedus“ vide infra.

---

b. latina.

α) Graecis praemissis transeo ad latina appellativa *απαξ λεγόμενα* Luciliana. Jamque hoc cum recte contendere mihi videar, non posse omnino a Lucilio ficta esse subst. vel primitiva vel ea, quibus, quae res aut personae significarentur, ultro intellegere nemo potuerit, primum haec sex afferam. quae quin aliunde sumpserit Lucilius, non ipse finxerit, non potest dubitari.

1. carissa, v. 1182 (inc. LIX.). Invenitur ap. Paul. lib. III. ex Fest. p. 44, 3: „carissam apud Lucilium vafram (cod. Mon.: „vafrum“) significat“. Qua de voce cum Löwius in prodr. p. 304, tum G. in prol. p. CXXXII. sq. et Jordan., (krit. Beitr.

p. 88) accuratissime taliter fere disseruerunt: Quattuor earum, quae praeter Festi extant, glossarum hae tres: Philoxeni, 34, 50: „carissa: μαυλιστής, πορνοβοσκός"; Isidori p. 675, 54: „carisia: lena vetus et litigiosa: ancilla dolosa, fallax"; cod. Vaticani 3321 f. 18r.: „carisa lena est dupla (Hildebrandus: „dolosa s. vetula") — ad unam illam, quam M. in edit. Lucilii p. 144 memorare omittit, Placidi 27, 17: „carisa: vetus lena pereallida, unde et in mimo (vide O. Ribbeck., comic. lat. frag. p. 400) fallaces ancillae „„cata carisia"" („catae carisae", Hildebr.; „cata carisula", O. Ribb.) appellantur" ita referendae sunt, ut Philoxenum in transferendo interpretamento perperam pro „lena" „leno" legisse arbitremur; „nisi forte praestiterit", ut Löwii verbis utar, „ita rem sibi informare, ut jam antiquitus de vocabuli illius ap. Lucilium significatione duas opiniones exstitisse diversas putemus, qualis quidem ratio minime esset singularis". — De etymo ipsius vocabuli cum mea quidem sententia ne suspicari quidem nobis liceat, Corssenus (krit. Beitr. p. 484 sq. et Sprache der Etrusker I., 204; II. 138)" utique Tuscae originis vocem esse conatur demonstrare, velut feminarum nomina in — isa vel — issa desinentia (cfr. e. g. „patrissa") et ut vocem illam haud dubie mere latinam „favissa", qua Gellius utitur in Noct. Att. 2, 10, 1 sq.: „favissae plur. tantum". — Contra probabilius Jordanus, quod jam G. exposuerat, repetit graecum esse vocabulum nobis non traditum „Κάρισσα" pro „Κάειρα (vel Καρίνη)" h. e. mulier Carica s. Phrygia, dictum per metonymiam ad significandam servam insigni pigritia stultaque calliditate praeditam", quibus vitiis Cares et Phryges floruisse ap. Gerl. compluribus proverbiis et graecis et latinis reperias comprobatum; cui voci analogon quidem verbum Cornelii Nepotis in Datam. 1, 1: „Scythissa" afferri potest.

2. **hir** i. e. vola s. concava pars manus, v. 998 (22, 3):

„defusum e pleno siet hir siphoneve, cui nil
durist, cum nix et sacculus abstulerit." L. M.

Laudat Lucilii verba solutis quidem — quod maxime dolendum est — ejus versibus Cic. de fin. bon. et mal. II., 8, 23: „nemo nostrum istius generis asotos jucunde putat vivere; mundos, elegantes, optimis cocis .... exquisitis, vitantes cruditatem, quibus „vinum d. e. pl. sit hirsizon †, ut ait Lucilius, cui nihil dum sit vis et sacculus abstulerit, adhibentes ludos e. q. s." Quam inter farraginem discernere Ciceroniana et vere Luciliana, haec ipsa metro alicui s. jambico s. dactylico s. elegiaco indere et inserere,

interpretari totius loci sensum cum multi viri docti[1]) diversissimos in modos cum dubio conati sint evento, equidem omissis illis incertis atque ingratis negotiis libenter Luc. Mülleri secutus lectionem sola de illo „hirsizon" pauca in medium hic proferam, quod L. ex antiquissimo cod. Vatic. in contextum suum satis habuit recepisse. Exhibent praeterea cod. Palat. 2 et Erlang.: „hrysizon" et cod. Morelii „perbonus ille": „hirsyphon", ex quo Orellius tandem Scaligero assensus fortasse duas has voces casu in unam confusas: „hir" et „sipho" Lucilium scripsisse intellexit, ita, ut ipse „hir siphove", rectius G. „hir siphone", rectissime M.: „hir siphoneve" in versu Luciliano mihi videantur correxisse. — Alii perperam „chrysidio", „ὑπέρσιζον", cett. proposuerunt. —

Itaque jam de vino agitur, quod sive ex pleno hir (i. e. „vola manus") sive siphone i. e. diabete ex pleno dolio haustum est. — Ipsum „hir" vocabulum quod attinet cfr. N. I., 574 et 658, K. I., 117, 1b; Löwe, prodr. p. 328 sq.; Corssen, Auspr. I² 472. Dicitur enim a Grammaticis vocabulum modo indeclinabile, velut a Charis. I., 10 p. 12: Prisc. 5, 3, 18 p. 648, Phot. 2, 9 p. 1694, — modo neutrius, modo masculini generis, servatis unicis formis „hir" et „hirris" (ap. Charis. I. p. 27), quod glossae, velut Philoxeni p. 108, 24; 125, 31; 126, 17 et Cyrilli p. 489, 58, convenienter fere sic interpretantur: „ir (aspiratione neglecta): θέναρ, vola, τὸ κοῖλον τῆς χειρὸς, concava pars manus, semis palma."

3. mamphula v. 1091 (inc. 97):

„pistricem validam, si nummi suppeditabunt,
addas empleuron, mamphulas quae sciat omnes."

Festus p. 142, 4 hos cum afferat versus, praemittit hoc: „mamphula appellatur panis Syriaci genus, quod, ut ait Verrius, in clibano antequam percoquatur decidit in carbones cineremque." Huc respiciens Gessnerus in Thesaur. vocem ipsam ex radice Ebraeis quoque usitata „nafál" i. e. cadere, decidere derivatum esse nescio an probabiliter conjecerit. Ceterum cfr. G. prol. p. CXXXIII. et Löwe, prodr. p. 314, qui codicis Bern. 258 f. glossam: „mamphulae, panes Syrici" huc pertinere jure affirmat.

4. mando i. e. homo incessanter comedens et mandens, v. 846 (inc. 163): „atque omnes mandonum gulae". Cujus versus duas extremas voces repetens Varro in „Bimarco" (VIII. fr. 53 ed. Büchel. 1871) ad Lucilium, ut solet in saturis, alludit hisce verbis: „magna ut tremescat Roma et magnae mandonum gulae."

---

[1]) velut Gerl. sat. p. 15, 6 Lachmann. edit. v. 998. Rumpf, tres commentationes 1868 Progr. Frankf. a. M. Holstein, ed. Cic. de fin, Leipz. 1873 cett.

Cfr. L. annot. p. 92 et M. comm. p. 284. — Similiter Pompon. com. ed. O. Ribb. v. 112 et haud dubie cum imitatus Apulejus met. 6, 31 (p. 512 ed. Hildebr.) utuntur vocabulo „manduco“, quod R. l. l. p. 65 injuria Lucilio quoque tribuit et de quo item ac de nostra voce plura requiras ap. Hildebr. l. l.

5. talla i. e. cepae folliculus, v. 162 (5, 22):

„flebile cepe simul lacrimosaeque ordine tallae.“

„Talpae“ cum codd. Non. praebeant, quod sensui resistere apertum est, primus Scaliger nostro vers. loco recte „tallae“ restituit secutus Philoxeni illam glossam: „talla κρομμύου λέπυρον.“ Contra „talae“ in textu posuit M., Festi, ut ait in comm. p. 212, secutus locum hunc (p. 359 [b] 11): — „taliam (sic. codd. et Paul. ex Fest. p. 358, 5!) Cornificius posuit, unde et talassus. taliam alii „folliculum cepae“ — ubi, ut saepissime in editione sua sine ulla causa traditum illud „taliam“ bis ex „talam“ corruptum esse contendere conatur frustra mea quidem sententia, cum equidem priore loco alteram formam vocis „talea“ i. e. ramus viridis s. plantae propago, ut „tinia“ pro tinea (Lucil. v. 900), sensisse Festum, altero sive ipsum Festum errore ductum sive postea librarios externa novae vocis cum supra memoratae vocis similitudine deceptos „taliam“ pro vera lectione „tallam“ scripsisse censeam. Praeterea facilius aliquis litteras L et I confundat, quam i vocalem ex vano inter L et A interjiciat. Itaque hic ut omnibus fere aliis locis, qui huc pertinent (Q. l. l. p. 363; F. l. l. p. 237 sq.; J. l. l. p. 236), contra Lucianum Müllerum Lucilio duplicatio consonarum concedenda est, quam cum jam Ennius et Accius usurpassent Lucilii demum opera ita invaluisse, ut tandem simplices pro geminatis ponendi mos plane aboleretur, Ritschelius (mon. epigr. tria p. 32) evidenter cognovit. Vide etiam O. Ribbeck, Jahn's Jahrb. 75, 1857.

6. tama i. e. genus tumoris, v. 1117 (inc. 39):

„inguen ne existat, papulae, tama; ne boa noxit.“ (L.)

Cfr. Fest. p. 360, 20: „tama dicitur cum labore viae sanguis in crura descendit et tumorem facit.“ Eadem prorsus Paulus habet p. 361, ubi tamen in Lugd. 116 est „Lucretius“ pro „Lucilius“, sicut et in Barthii codice, cujus meminit adversariorum p. 177b. Ipsum voc., quod G. in prol. p. CXXX. graecae originis esse conjecit, ex oriente manasse contendam; verbum enim „tama“ idem esse ac palma ex eo concludas, quod „Tamaricium“ coloniam a Phoenicibus in Sicilia conditam postea „Palmam“ appellatum esse scimus: tumor igitur illius quod Festus explicat

generis ab externa similitudine cum palmae fruge „tamae“ fortasse poterat nomen accepisse.

β) Quibus nonnulla vocabula addam, quae itidem originis haudquaquam Lucilianae, sed potius popularis vulgarisve esse sensu et notione facile cognoscitur. Nam significant institores, opifices, magistratus, res eventaque cotidianae consuetudinis et vitae. Casu nonnisi a Lucilio memorantur. Sunt enim haec:

β¹) halicarius h. e. qui alicam, far, ador molit vel conficit, v. 422 (15, 38): „nemo est halicarius posterior te“. Laudat Charis. 75: „alicam sine aspiratione dictam Verrius tradit et sic multi dixerunt; sed Lucilius: „nemo e. q. s.“ cum aspiratione dixit“. Ad quem locum Corssenus (Ausspr. I., 49.) confert Nigidium Figulum ap. Gell. XIII., 6, 3: „Rusticus fit sermo, si aspires perperam.“ Ceterum apud Plaut. Poen. 1, 2, 54 adjectivi forma sine aspiratione tradita exstat: „prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias“ h. s. meretrices solitas ante pistrina alicariorum versari quaestus gratia.

ceparius h. e. qui cepas vendit vel qui cepis delectatur, v. 173 (5, 23): „lippus edenda acri assiduo cepariu' cepa“. Sic Prisc. p. 681. Cui versui cum Non. p. 201, 8 adjunxisset voc. „lacrimosa“, Mercerus omnino omitti malebat vocem „ceparius“. Contra Junius recte voc. „lacrimosa„ jussit deleri, cum manifesto ex ejusdem libri versu 163 (5, 22), quem M. jure meritoque cum v. 173 (5, 23), de quo agitur, composuit, illud voc. librariorum vitio in nostrum manasset. Quod attinet ad sensum, Franckenium (l. l. p. 258), qui proverbium esse existimet dictum in eos, qui de molestiis muneris conquerantur, hic ut saepius hariolari ratus magis Gessnero (vid. Thesaur. s. h. v.) assentiar, qui cum „Ceparii“ cognomis, quod postea Cic. ad fam 9, 23 et Catil. 3, 6 memorat, originem hoc versu a Lucilio exponi censeat, „videtur“, inquit, „nominis hujus rationem reddere Lucilius, ut qui primus postea hoc nomen tulit, primo dictus sit: lippus edenda acri . . . .“

mixtarius h. e. vas, quo miscetur vinum aqua, v. 190 (5, 33): „urceus aut longus gemina mixtarius aure“, quod recte, ut videtur, „paulo“, quod codd. exhibent, in „aure“ mutato M. (comm. p. 213) ita, ut mixtarium δίωτον i. e. duas habentem ansas a Lucilio intelligi credendum sit, exponit.

scripturarius v. 527 (26, 16): „publicanus vero ut Asiae fiam, ut scripturarius, pro Lucilio id ego nolo . . . .“ Non. 37, 33: „scripturarios“, ait, „veteres, quos nunc tabularios dicimus, dici volunt, quod scripturis et commentariis omnia vel urbium

vel provinciarum complecterentur". Sed accuratius ex Festo p. 333 (a) 16, qui, cum unus etiam adjectivae hujus vocis formae mentionem faciat, „scriptuarius ager", inquit, „appellatur, in quo ut pecora pascantur certum aes persolvitur: quia publicanus scribendo conficit rationem cum pastore" potest colligi, scripturarium non quemlibet esse scribam, sed eum solum, qui scripturam h. e. „das Weide-, Triftgeld" exigat et accipiat. — M. cum alium Nonii locum (p. 351, 7) secutus voc. „ut" et signum commatis post „fiam" positum deleat, conjungit „publicanus scripturarius" ita, ut alterum necessario adjectivam habeat vim; sed utrum, et quo sano probabilique sensu, mihi quidem non liquet; („zu den Staatseinkünften gehöriger Triftgeldkassirer" an „zum Triftgeld gehöriger Staatspächter?")

scrutarius h. e. homo, qui scruta vendit (cfr. Hor. ep. 1, 7, 65: „scruta vendens"), v. 1062d (inc. 77): „Quidni? et scruta quidem ut vendat scrutariu' laudat". Praeterea exstant ap. Orell. inscr. 2954 etiam adj.: scrutarius servus" et ap. Apul. met. 4, 8 subst.: „scrutaria", ae, f. (scil. „ars"): „scrutariam facitis", metaphorice de furibus dictum h. e. „res vilissimas furamini".

β^2) His quinque in — arius desinentibus, quam terminationem Lucilius valde videtur adamasse (cfr. etiam quartarius, agrarius, angarius ap. eundem), alias has voces adjungam, quae saepius haud dubie in oribus et usu hominum versabantur, sed semel tantummodo ap. Lucilium traditae nobis exstant.

canicae, arum, h. s. furfures de farre a cibo canum vocatae (sic Paul. III. ex Fest., 46, 1), v. 638 (27, 28): „quám te véllet, quám canicás ad púltem ec mángonís manú". Sic paucis mutatis rectius L. Müllero hoc fragmentum, quod L. vehementer mutilatum recepit, F. (l. l. p. 276) mihi videtur posuisse, quia codicum servata lectione L. Mülleri evitat formam praeter necessitatem fictam „canicai". Glossas complures huj. vocis enumerat Löwe, p. 315. Cfr. etiam R. l. l. p. 86.

catillo i. e. a catillis s. catinis lingendis (Forc.), velut nostrum „Tellerlecker, Leckermaul", v. 1181d (inc. 50): „. . . . . pontes Tiberinu' duo inter captu' catillo". Quem locum cum laudet Macrobius in sat. III., 16, 18 declarat ita: „eum (piscem) quasi ligurritorem catillonem appellat Lucilius, scilicet qui proxime ripas stercus insectaretur". Eundem piscem h. e. lupum quem dicit intellexisse et Hor. sat. II., 2, 31 sq. et Juvenal. 5, 104 sq. commemorat M., comm. p. 275. Cfr. etiam Löwe, prodr. p. 320, qui Festum Pauli p. 44, 12: „catillones appellabant antiqui (unde

popularem fuisse vocem cognosco) gulosos" et p. 90, 2: „catillones catillorum ligurritores" et inter alias Placidi glossam: „catillo: gulosus a catilli appetentia" laudat. — V. 708 (28, 44) haesitat M., scribat „nec parvo catillo pretio" an „n. p. catulum p.', codices cum exhibeant „catullo"; L. habet: „catula"; sed quid sit verum, in tam brevi fragmento vix conjectura assequaris.

cerniculum est h. v. quod alias incerniculum, τηλία, mensa in qua farinas et id genus alia vendunt (cfr. M. comm. p. 250), v. 547 (26, 70): „cribrum in cerniculum, lucem in laternam, in telam licium". Quod optime M. conjecisse pro codicum „incerniculum lucernam in laterem", singulis jam antea recte restitutis a Jan. et Franc. Donsa, sensus et responsio trium illarum, de quibus agitur in versu supra laudato, rerum, quae per se ex necessitate desiderantur, declarant. Exstat idem voc. etiam in glossis Labbaci. — Cfr. „discerniculum" ap. Lucil. v. 868 (30, 58) et „incerniculum" ap. Caton. r. r. 13, 2 et Plin. H. N. 8, 175.

ergastilus h. e. servus, qui ergastulo inclusus ex vinculis seu compedibus opus facit (Forc.), v. 437 (15, 30): „non ergastilus unus". Errasse Nonium p. 447, 4, cum diceret: „neutro (genere) carceris locus est, masculino custos poenalis loci" jam ante M. (comm. p. 239) Lipsius cognoverat; ergastilus enim ipse servus est, non custos. — „Ergastulum" reperitur c. gr. ap. Cic. Cluent. 8, ad quem loc. conferas Löwii glossam (prodr. p. 147): „ergastulum: locus ubi damnati aut marmora secant vel aliquid operantur; nam graecum est et latine metallum appellatur". Sed equidem in Thes. Graec. neque „ergastulus" neque „ergastulum" inveni. — „Ergastularius" praebent Col. 1, 8, 17 et Ammian. 14, 11 extr.; „ergastularis" (adj.) Sidon. ep. 7, 9.

mutonium i. e. idem ac „muto" (i. e. penis), v. inc. fragm. XXVII. (L. omisit): glossae Stephani p. 141 (Philoxeni p. 141, 34) exhibent: „muttonium προβασκάνιον, Λουκίλλιος (ita Vulcanius, Λούκιος Stephanus)." Quibus statim adjungit Löwe prodr. p. 302 ejusdem glossae truncatam et corruptam memoriam p. 141, 35: „muttonius προβασκάνιον". Ceterum quod idem contra Porphyrionis et Acronis ad Hor. sat I., 2, 68 testimonia glossas illas ad Lucil. v. 8, 7 (271) pertinere nec novi alius fragmenti esse vestigia censet, equidem non assentiar. — Vulgaris quidem hujus obscenae vocis usus reperias documenta in corp. inscr. Lat. 4, 1939 et 1940, ubi „mutunium" vel „muthunium" et ap. Mart. 3. 71, 1 et 11, 63, 2 et Priap. 52, 10 B, ubi adj.: „mutoniatus" leguntur.

piscinensis i. e. qui piscinam frequentat, v. 1099 (inc. 103): „pro obtuso ore pugil piscinensis reses". Cfr. Fest. p. 213, 5: „ad quam (piscinam) et natatum et exercitationis alioqui causa veniebat populus". M. scribit „Piscinensis". — Alium habet sensum voc. ἅπαξ λεγόμενον „piscinarius" h. e., qui voluptatis gratia piscinas habet, ap. Cic. ad. Att. 1, 19 § 6 et 20 § 3.

pistrix h. e. mulier, quae fruges pinsit seu: „quae panem conficit", v. 1090 (inc. 96): „pistricem validam, si nummi suppeditabunt, addas empleuron . . . . ." (Fest. p. 142). Etiam Varr. de l. l. 4 p. 140 ed. Spengel hanc vocem ex Lucilio repetit hisce verbis: „inde post in urbe Lucili pistrina et pistrix", unde a Lucilio demum fictam esse hanc vocem colligeres, nisi ipsa vocis significatio popularem ejus ostenderet usum et originem. Panis enim confectionem fuisse ap. Romanos praecipue mulierum Plin. 18, 11 docet. — Liceat mihi rursus Löwium (prodr. p. 315) laudare, qui „cum pistrix vocabulum", inquit, „nisi in hoc versu Luciliano nusquam traditum exstet, Philoxeni p. 162, 19 glossae: „pistrix: κῆτος καὶ ἀρτοποιός, quae e duabus hisce: „pistrix: κῆτος" et „pistrix: ἀρτοποιός" in unam contracta est, alteram partem ad Lucilium rettulerim". Invenitur autem saepius, velut ap. Virg. Aen. 3, 427 et ap. Cic. Arat. 152, vox „pistrix" illa, quae tamen nihil nisi altera forma vocis „pristis" i. e. „belua marina" est.

quirritatus i. e. naturalis vox verris clamantis, ut grunnitus (Cic. Tusc. 5, 40, 116) vox aprae, v. 1087 (inc. 116): „quantum hinnitum atque quirritatum!" Sic enim equidem scribendum puto, ita, ut prima pars versus jambici octonarii omnibus comicorum quidem licentiis instructi fiat. Nam cum Varro de l. l, 7, 81 (p. 379 ed. Speng.) explicet: „multa ab animalium vocibus tralata in homines, partim quae sunt aperta, partim obscura. Perspicua ut . . . . . Lucil.: quantum h. a. q.", M. codicum et Lachmanni lectionem: „equitatum (ἅπ. λεγ., ab „equire i. e. quod nos dicimus; „rossen)", quae minime vocem vel clamorem quendam exprimat, jure e textu Luciliano ejicit; sed ex eo, quod dubitat, utrum reponendum sit „quiritatum" (a „quiritare", i. e. „Quiritium implorare fidem" et translate: „vociferare") an „heijulatum", mea quidem sententia veram scripturam, h. e. animalis vocem, eum restituere non voluisse apparet. — „Quirritatus" est sine dubio voc. ὀνοματοποιητικόν, ut hinnitus, vagitus, mugitus, similia. — Cfr. ap. auct. carm. Philomel. 55: „quirritant verres, pardus rudit, oncat asellus."

rapister i. e. raptor, v. 60 (2, 1): „homo impuratus et impuno estque rapister“ (Non. 129, 28). Quod cum scribam, Luc. Mülleri (comm. p. 199) comprobo argumenta; nam quod pro voce „rapister“ etiam „rapinator“ Varronianum (sat. Men. 65) illud vocabulum a Lachm. receptum in eodem Lucilii versu, sed alio „Compendiosae doctrinae per litteras“ Nonianae loco (p. 167, 22) legitur, id librariorum non Nonii culpa evenisse evidenter exponit. — „Apte confertur a Franckenio (Conject. Lucil. I., 9) „capistrum“.

β^3) Restat, ut unius meminerim subst. diminutivi, quod jam ante Lucilium exstitisse ex Plauto potest concludi:

culcitula i. e. parva culcita, v. 866 (30, 41): „culcitulae accedunt privae centonibus binis,“ cfr. Diomed. 323, 20. Plautus enim in most. 4, 2, 14 (894) verbum usurpat quod est „culcitella“ a „culcitula“ derivatum. — Sensus haud dubie obscenus.

γ) Quibus peractis transeo ad ea subst. ἅπ. λεγ., quae a Lucilio aut ficta sunt aut certe ficta esse possunt. Quorum primo loco tria reliqua ponam

γ^1) *deminutiva.* De deminutivis in universum conf. Wölfflinium, qui in Philol. 34 p. 150 ita scribit: „Es ist eine nicht mehr neue, aber viel zu wenig anerkannte Bemerkung, dass die sog. Deminutiva durchaus nicht immer verkleinern, sondern an die Stelle der Stammwörter treten, wenn der Sprechende den Ausdruck seines Affects hineinlegen will, sei es der Zuneigung, des Bedauerns, sei es der Abneigung.[1]) Sunt apud Lucilium solum haec:

austellus i. e. parvus s. lenissimus auster, v. 452 (16, 8): „rex Cotus ille duo hos ventos, austrum atque aquilonem novisse aiebat solos, sed demagis istos ex nimbo austellos nec nosse nec esse putare.“ Quod significat: Cotus Thrax furentibus ventis assuetus illos, qui cum nimbo venire solent, austros vel potius austellos numero ventorum non habet.

callicula i. e. deminutivum femininae formae non traditae vocabuli „callum“ vel „callus“, quo fructuum foliorumque corticem s. putamen saepissime ap. Plinium significari legimus. —

Sic enim obscurissimo illo et miserabilem in modum depravato loco Luciliano, ubi G. p. 98, 164 „gulliocae“; L. v. 1200 „gutillioncae“; M. frag. inc. LXXX. p. 147 et comm. p. 282: „gullucae“

---

[1]) Cfr. etiam. W. Müller, de ling. lat. deminutivis, diss. Regim. 1865.

ad arbitrium suum, ut cuique libuit, sine causis allatis scribunt, ingeniose primus Ritschelius et post eum G. Löwe in prodr. p. 298 sq. contextum Lucilianum correxerunt.

Qua voce omnino usum esse Lucilium ex glossa Philoxeni (105, 16) quadam sequitur a Stephano Vulcanioque edita sic: „guttilli oeae *κάροια* (h. s. *κάρυα*) *μακρὰ παρὰ Λουκιλλίῳ*", unde in gloss. Labbaei II. p. 83c: „gutilli oneae *κάροια μ. π. Λ.*" et in codice Parisino 7651 („quo de Osannus jam a. 1826 recte testatus est"): „gutullio eae [Luc. Müll. p. 147 perperam: „gutillioeae"] *κ. μ. π. Λ.*" invenitur.


Huc non paucae accedunt glossae, quae, quamquam Lucilium quidem non laudant vocis auctorem, haud dubie tamen, ut interpretamentorum mira demonstrat similitudo, ad eum recurrunt. Sunt autem primum Festi p. 98, 12: „gulliocae: nucum juglandium summa et viridia putamina", quam secuti in cod. illo Paris. Vulcanius et Scaliger „gulliocae" et Osannus „*ἄκρα*" restituendum censuerant; deinde Philoxeni p. 105, 8: „gulluca *καροιοτόμια*", quam Labbaeus p. 83 repetiit, Scaliger in „gulioca *κ.*" correxit, Stephani probata mutatione „gullucae" Luc. Müllerus in edit. suam recepit; tum alia Festi p. 50, 12: „culliola : cortices nucum viridium, dicta a similitudine culleorum, quibus vinum s. oleum continetur," ex qua omnes alias mutilatione manasse G. in prol. p. CXXXII. arbitratur; denique optima et fidissima, sed a Luc. Müllero omissa, Placidi (p. 467, sic Lachm.):

„galliciciolâ (sic Lachm. p. 137 edit. Lucil.)
gullicicíolâ (sic Majus, class. auct.)
guilliciolâ (Gerl. prol.)
gallicolâ (ap. Löwe)
galliculâ (sic Deuerlingius)
calliculâ (sic Ritschelius)

} : cortice nucis juglandis viridis, per quem corpus humanum intelligi vult."

Hoc „callicula" autem genuinum esse vocabulum Lucilianum, unde aliae detruncatae illae, quas legimus, lectiones haud dubie profluxerint, ipse facile demonstrare mihi videor schemate p. 33 huj. diss., quo simplicissimis modo librariorum mendis sensim litteras et speciem vocis „calliculae" variatas et corruptas esse perspicue apparet.

r u t e l l u m i. e. deminut. vocis „rutrum", v. 277 (9, 68): „frumentarius est, modium hic secum atque rutellum una affert". Quod voc. Forcellinius nescio an ita recte interpretatus sit: „baculum ad aequandum modii cumulum, hostorium est".



γ²) *Denominativa* praebet Lucilius solus has:

pigror (ab adj. piger) i. e. pigritia, v. 331 (10, 1): languorque obrepsit, pigror torporque victus". Sic scribendum existimo cum Lachm. pro L. Mülleri „obrepsitque pigror, languor e. q. s." (cod. Non. contra metrum: „languor obrepsitque), ita, ut metrum quoque gravitati verborum aptum fiat. Abundant enim synonyma eaque insuper homoeoteleuta partim usitata partim ex tempore ficta h. versu, quae commodissime extremum pingunt languorem animi corporisque. — Cfr. R. p. 64. — Quod etiam v. 1063 (inc. 81) pro codicum Non. lectione nullo modo tolerabili „nigrore" L. legi vult: „nam tam algu atque pigrore malus", Gerlachii (edit. p. 80) conjectura, quam M. retinuit, „rigore" sensui totius versus mihi videtur melius respondere. -

prodigitas (ab adj. prodigus) h. e. profusio, v. 212 (6, 4): „nequitia occupat hos, petulantia prodigitasque". — Cfr. Acron. ad. Hor. sat. 2, 3, 28 et R. l. l. p. 54.

γ³) *Substantiva verbalia* apud Lucilium solum inveniuntur haec:

bovinator (a verbo „bovinari"), v. 350 (11, 27): „[hic strigosu' s. hic sitricosus] bovinatorque ore improbu' duro". Cujus vocabuli de difficillima quaestione in universum colligas ea, quae Löwe in prodr. p. 317 summa cum diligentia et sagacitate exposuit. Traditae enim sunt, quod attinet ad notionem memorabilis hujus vocis, duae contrariae inter se sententiae: Gellii (XI., 7) Noniique (p. 79, 25), qui „bovinatorem" idem ac „tergiversorem" apud Lucilium significare ferunt, et Pauli diac. p. 30, 12, qui silentio

praeteriens Lucilii locum memorat: „bovinator: conviciatur“. Utraque interpretatio glossis diversis confirmatur, velut Placidi 13: „bovinator: tricosus et inconstans“ et Philoxeni p. 31, 26: „bovinatores: θορυβοποιοὶ, θρύμον ποιοῦντες ἢ ταραχὴν, sed quae recta sit et vere Luciliana dijudicari nequit. Scaliger ad l. l., Doederl., synon. et etym. VI. p. 41, M. (comm. p. 233) Paulum sequuntur sine ulla probabili causa, ut Löwe lepide demonstrat; ipse suo jure in medio rem relinquendam esse censet. Cfr. infra voc. „tricosus“.

succussator h. e. equus, qui duriore gressu sessorem concutit (sic Forc.) s. quem nos dicimus „Stösser“, v. 72 (3, 33): „succussatoris taetri tardique caballi“. Derivatum est a verbo succussare (i. e. frequent. verbi: succutere), quod Accius, trag. 568 ap. O. Ribb. trag. praebet; praeterea „succussatura“ quoque ap. Non. 17, 24 invenitur. — Cfr. R. l. l. p. 62.

succussor i. e. succussator, derivatum a verbo „succutere“, v. 424 (15, 15): „hunc nulli passum qui vicerit atque duobus Campanus sonipes succussor nullus sequetur.“

Quibus in — or finitis hoc addendum:

deletio i. e. exstinctio, interitus, v. 758 (29, 1): „deletionem nostri ad unum exercitus“. Satis cum constet Lucilium antecedentium poetarum Latinorum vel Graecorum versus satiris suis inserere non recusasse, nescio an jure O. Ribbeck trag. Rom. frgm. p. 273 etiam hunc versum tragici cujusdam incerti esse conjecerit his ex causis: „Graecanicae artis habes trimetrum; verba vel de Graecorum Troja redeuntium naufragio vel in Paulo Pacuvii de clade Cannensi usurpari poterunt.“ Sed utcumque re vera res sese habet, nos quidem optime, quoniam certum aliquid nescimus, Nonio p. 94, 7 credamus, qui illa verba ex Lucilio sese sumpsisse confirmat.

γ^4) Reliqua sine ulla dubitatione a Lucilio ex tempore et jocosissime ficta, aut ut veterum „verrucosam loquendi sartaginem et sesquipedalia poetarum verba“ irrideret aut ipse acute motus nimium interdum in jocando versibusque fundendis „stans pede in uno“ sequeretur leporem, haec sunt *composita* substantiva:

cibicida h. e. qui cibum caedit i. e. consumit, per ludibrium, ni fallor, de servis dictum, v. 634 (27, 27): „viginti domi an triginta an centum cibicidas alas.“ Inventum est h. v. a Lucilio ad analogiam verborum quae sunt „parricida“, „homicida“, „hosticida“, sed ita compositum, ut objectum grammaticum quod dicimus non homo quidam (velut supra: „pater, homo, hostis“), sed res

sit scil. „cibus", compositione vocum „cibus" et „caedere", cujus de memorabili usu cfr. G. Götz, in act. soc. phil. Lips. IV. p. 354 sqq. Haud incommode M. in comm. p. 254 comparat v. 1148 (inc. 92) Lucilii: „fragmenta interficis panis". Similia voc. haec inveni: „utricida" ap. Apul. met. 3, 18 et „lapicida" ap. Varr. l. l. 8, 33, 62; Liv. 1, 59, 9; Sidon. ep. 3, 12. — In universum de hoc quoque voc. vide Löwe, prodr. p. 307, qui accuratius nonnulla de glossis huc pertinentibus, velut de Philoxeni p. 39, 6, explicuit.

cortinipotens v. 245 (7, 4) i. e. „der Dreifussmächtige", Apollinis epitheton proprie adjectivum, sed sine dei nomine ut substantivum positum versu: „huncin ego unquam Hyacintho hominem, cortinipotentis deliciis contendi?" (sic Lachm.). Cfr. Dziatzko, Rhein. Mus. 33, 113. H. voc. Lucilius finxit ex voce „cortina", quod vas rotundum et translate tripodem Apollinis e. gr. ap. Varr. de l. l. 6, 3 et ap. Virg. Aen. 3, 92 et 6, 347 significat.

noctipuga v. 1184 (inc. frg. XXVIII.): servatum ap. Festum Pauli p. 175, 2, ubi cod. Guelf. et Monac.: „noctilugam Lucilius cum dixit, obscenum significat"; Lugd. et vet. cod. Mercerii „nocti nuga e. q. s."; excerpta glossarii Salomonis f. 273r b: „noctiiugam". Quibus ex testimoniis cum Scaliger, G., L., M. „noctilugam" illud Varronianum (de l. l. 5, 68 et sat. Men. 292) et Horatianum (carm. 4, 6, 38), ubi „lunam" s. „lucernam" significat, veram lectionem Lucilianam fuisse conclusissent, suo jure G. Löwe in prodr. p. 309 sqq. Lucilio vocabulum jam a Salmasio propositum „noctipuga" i. e. νυκτικέντρον s. virile fascinum reddidit duobus his causis: primum quod Festus dilucide illud voc., de quo agitur, obscenum aliquid significasse dicit, cujusmodi notionem illi vocabulo „noctiluca" subicere et Scaliger („noctiluca": avis mali ominis noctu lugens) et Steph. in Thes. („noctiluca" est, quae alicui facem ad libidinem praeferat) frustra conati sunt; deinde quod glossa quaedam haud dubie ex Lucilio sumpta ter exstat hisce verbis: „noctipugam: obscenum, quod quasi noctibus compungatur (compungat, Salmas.)." — Vide Löwe l. l. — Cfr. „solipuga" ap. Plin. 8, 29 (43), 104 et Cic. ap. Plin. 29, 4 (29), 92 et adj.: „cordipugus" in fragm. anonymi cujusdam scriptoris ap. Löwe l. l.

pullipremo h. e. qui pullos i. s. pueros premit s. paedicator, παιδεραστής, v. inc. 162. Quod quidem verbum neglexit L., cum Auson. in epigr. 70, 8 perspicue canat: „Lucilii vatis subulo pullipremo", qua de re accuratius cfr. M. in comm. p. 284. — De

forma vocabuli contra Scaligerum, qui „pulliprema" scribit, recte G. in prol. CXXXI.: „—o, inquit, suadent tot vocabula in —o terminantia, quae cum apud ceteros scriptores passim occurrant, tum ap. Lucilium imprimis tam frequentia sunt, ut hanc terminationem popularibus auribus gratissimam fuisse facile credideris."

vinibua h. e. mulier, quae vino se compleat et obruat vel mulier vinulenta, v. 257 (VIII., fr. VI.); singulariter modo ex perdito quodam versu Luciliano h. v. a Nonio (81, 2) traditum est hisce verbis: „Lucilius lib. VIII. cum vinolentas diceret, vinibuas designavit." Compositionis enim partes sunt vocabula „vinum" et „bua", quae vox est naturalis infantium, quotiescumque potionem petunt, sicuti pro cibo „pappa", pro matre „mamma", pro patre „tata" utuntur vocabulis.

Quibus hoc vocabulum nescio an jure adjiciendum sit:

domiporta h. e. epitheton cochleae, quae domum suam perpetuo circumferat (Forc.), v. dub. 8 ap. M., L. omisit; „terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam". Exstat hic vers. ap. Cic. de div. II., 64, 133 non laudato poetae nomine; sed Lucilii, veterum illius tragicorum, ut supra dixi, irrisoris, optime eum esse posse Corpetus et M. (comm. p. 160) evidentius ex eo quoque effecerunt, quod Pacuviana illa, quae statim addit Tullius, eo videntur irrideri: „quadrupes, tardigrada, agrestis, humilis aspra etc." — Similiter „domiseda" ap. Orell. insc. 4639; „domiduca" ap. August. civ. dei 6, 9 et 7, 3 et ap. Mart. Cap. 2 § 149 cet.

Alius generis haec sunt composita mere Luciliana:

concena i. e. conviva, v. 1189 (L. „concere"), inc. 177 (M. „concerae"): „Tappulam rident legem concenae optimi". Invenimus hunc vers. ap. Fest. 363, 21, ita tamen, ut codd. praebeant: „concere". Quid hoc sibi velit meditati cum Scaliger et Otfr. Müller ab ipso Lucilio olim formam „congerre" i. e. „congerrae", quae idem significaret atque Plautinum[1]) illud „congerro", usurpatam fuisse dixissent, primus Lachmannus „congerrones" a veteribus etiam „congerras" appellatos esse nusquam demonstrari ratus illos refutavit quidem, sed non correxit. Vide Lachm. edit. p. 136 vers. et annot. Sane Rostii (opusc. Plaut. I. 283) in mentem mihi venit, qui „potuisse autem, inquit, eundem hominem et „congeronem" et „congerram" appellari posteriorisque figurae vocem ad similitudinem aliorum nominum compositorum, ut „advena", „transfuga", „agricola", non obstante altera forma „congero" formari, sciunt omnes,

[1]) cfr. Lorenz, most. v. 919 et 1035; Rönsch l. l. p. 65.

qui de abundantibus quae vocantur Latinorum nominibus compertum habent". Qui vir doctus, ut omittam eum concludere modo, non argumentari, mea quidem sententia analogias certe aut obliviscitur aut nequit afferre. Egregie autem, postquam jam Forcellinius annotavit: „alii (sc. legunt) „concoenae", „σύνδειπνοι", hic quoque Löwe (prodr. p. 330) mihi videtur verum invenisse, pro „concere" simplicius „concene" i. e. „concenae" esse scribendum „duce, ut ait, Philoxeno p. 44, 48: „concaenae: σύνδειπνοι", ubi lemmatis malam ὀρθογραφίαν emenda Cyrillum p. 622, 23: „σύνδειπνος: conviva, concena" secutus". Praeterquam enim, quod sola una littera mutatur, melius sine dubio quadrat h. v. ad legem Tappullam convivalem (de qua infra vide), quam commenticium illud „congerra" pro „congerro", quod solum, si Rostium sequimur, adolescentem cum sodalibus de symbolis epulantem, non unumquemque omnino significet convivam.

imbalnities (balneum) h. e. sordes balneo s. lavando non abluta, v. 561 (26, 45): „hic cruciatur fame frigore, inluvie, imperfundie, inbalnitie, incuria". Priscorum auctorum acervandi synonyma consuetudinem mirifice Lucilius irridet suo modo exasperans rem verbis insolenter fictis et cumulatis.

imperfundies (perfundo) h. e. sordes ne perfundendo vel inundando quidem corpore abluta, eod. versu: (26, 45) 561. H. v. praeter necessitatem a Lachmanno (scribit enim „imperfundities") syllaba auctum et mutatum esse jam Luc. Müll. de r. m. p. 34 demonstrat, qui ita metri difficultatem facile tollit: „non stabunt numeri, nisi „imperfundiem" posueris priorem „inbalnitie".

His denique addenda duo composita ex Graecis ficta nominibus, quae cum in Graeca lingua non exstent ipsa, a Lucilio demum composita fuisse satis probabile est:

camphippelephantocamelos v. 1065 (inc. 82 et 83). Sic cum jam Janus Dousa et Scaliger Nonii (p. 120, 18) verba: „hippocampi (quod transverso ordine Lucilium posuisse adnotat) elefanto camillos" conjuncta restituissent, etiam nunc cum Lachmanno legendum puto contra L. Mülleri (comm. p. 279) conjecturas istas: „camphippi" et „pantherocamelos" omni probabilitate [a litterarum traditarum similitudine petenda] prorsus spreta susceptas. Jure meritoque enim Löwe p. 331: „Quae quidem scriptura (Lachmanni) non mediocriter eo commendatur, quod voc. „camphipel . . . ." hexametri versus dimidiam partem explet, id quod casui tribui non potest". Jam sane, pergit exponere G. Löwe, huic conjecturae M. opponit se nescire quid sibi velit

hoc monstrum animalis. At quid ni cogitari potest, Lucilium Graecorum vocabula velut „ἱππαλεκτρυών" imitatum prodigiosi cujusdam monstri nomen finxisse, quale se vidisse jactantem aliquem poeta jocose fecerit?" Ceterum compositionis prima pars Festo Pauli p. 44, 1 teste vox „campa" i. e. κάμπη, equus marinus est, qua utitur e. gr. Plaut. truc. 5, 50 (909). Similiter quodam modo Auson. ep. 70 (69), 9 „hippocamelus" et Plin. 32, 9 (30), 93 „hippocampus" dixerunt.

moechocinaedus i. e. qui adulter simul et scortum masculum est, v. 977 (30, 77): „imberbi androgyni, barbati moechocinaedi". Cujus compositae vocis partes itidem diu ante Lucilium in Romanorum oribus atque sermonibus versabantur. Cfr. Görke,[1]) qui in cap. I. voc. „moechus" (μοιχός) octies et „cinaedus" (κίναιδος) septies ap. Plautum inveniri explanat. Alii ap. eroticos et satiricos poetas loci, ubi voces illae exstant, indicant N. II., 129; Saalfeld, index etc.; lexica Forcellinii, Stephani, Georgesii. Ipse Lucilius sejunctim voc. „moechus" v. inc. 72 (ubi L. v. 1075 „mecum" legit) et „cinaedus v. 18 (1, 31) et 1015 (inc. 58) utitur, ad qu. loc. conf. M. comm. p. 197. — Cfr. etiam voc. „spatalocinaedus" (σπάταλος, κίναιδος) ap. Petr. 23, 3.

Haec hactenus de Lucilii substantivis singularibus.

δ) Venio nunc ad formas nonnullas vocabulorum, quas itidem nusquam nisi in satiris Lucilianis reperiamus.

δ¹) Ac primum quattuor mihi occurrunt substantiva ita ex graeca lingua in latinam tralata et transformata metaplasmo, ut aliam atque aut antea apud Graecos aut postea apud Romanos usitatam sequantur declinationem genusque ostendant insuper plerumque mutatum, haec:

cala, ae, f. i. e. fustis, lignum, v. 837 (inc. 151): „scinde calam, ut caleas"; quod voc. Serv. ad Aen. VI., I. et ex eo schol. Stat. Achill. III., 48 p. 451 ita interpretatur: „puer frange fustes et fac focum". Graecum est κᾶλον vel κῆλον Homericum, Hesiodeum, Pindaricum, scilicet ubique fere pluraliter dictum, velut v. Iliad. I., 53; 383; XII, 280, ubi „deorum tela" significat. — Calum, i. n. exhibet Isidor. 19, 34, 2. — Cfr. etiam Löwii prodr. p. 321, qui breviter de glossis „cala: genus ligni" et „cala: ἐπικοπὶς, ἐπιγλυφίς" exponat. — Ceteroqui Lucilium nimio quodam studio allitterationis, quam ipse non minus quam omnes veteres

[1]) Görke, „symbola ad vocabula Graeca in ling. Lat. recepta, diss. Regim. 1868.

poetae[1]) videtur adamasse, hoc nostro loco adductum esse ad graecam vocem usurpandam mihi quidem satis dilucidum est; sed tota haec res, quod attinet ad Lucilium, accuratiore sine dubio adhuc expositione caret.

scuta v. 176 (5, 24): „scutam ligneolam in cerebro infixit". Sic enim equidem cum Lachm. aliisque contra L. Mülleri „scutulam li ligneolam et. q. s." conjecturam scribendum puto his ex causis: primum quod omnes iique optimi codices Prisciani, qui hunc tradidit locum p. 618, solis exceptis Dresd. et Erlangensi praebent „scutam"; deinde quod brevi ante Priscianus ipse perspicue et aperte „scutum vel scuta" dicit, errans vehementer ille quidem hac falsa opinione, ex verbo quod est „scuta" derivandas esse voces „scutula" et „scutella" (illud enim, ut „scutum" h. e. σκῦτος, praebet „u" longam litteram, haec brevem, ut σκυτάλη); tum quod vox „scuta" optime ad metrum apta est, vox „scutula" autem metrum conturbat, cum non hexametri ad finem quadret, ita, ut M. insolentius fictum illud „li" adjicere cogatur; denique quod alias vocis „scutum" i. e. σκῦτος formas omnino et exstitisse et existere potuisse ex Turpilii illo (ap. O. Ribb. fragm. comic. p. 90), quem inveni, manifesto apparet versu: „quia non minus res hominem quam scutus tegit". Cfr. Forc. lex. et N. I., 539. — Ceterum utrum „scuta" vocabulum loco Luciliano idem ac „scutum" significet, an translate patinam scuto similem, nihil interest.

chartus, i. m. i. e. charta, scriptum, v. 640 (27, 46): „nescis ubi Gráeci, ubi, nunc Socrátici chárti? — quídquid quáeris pétiimús". Lucilius igitur, cum transferat graec. v. „χάρτης" in linguam latinam, masculinum retinet genus ideoque primam declinationem cum altera cogitur commutare. Cfr. R. p. 267; N. I., 551; L. Müll. de re m. p. 377. Qua in re frustra Ennio, qui primus „charta" voc., quod saecula perduravit, scripsit (cfr. Enn. ann. 229 ed. Vahlen; S. ind. p. 22), cum apparet repugnasse. Ipse Horatius quoque, ardentissimus ille dictionis Lucilianae aemulus et imitator,[2]) in ep. II., 3, 310 dicit: „rem tibi Socraticae

[1]) Cfr. Jordan, krit. Beitr. p. 167 sqq. et quos ille laudat libellos; praeterea: Ziegler, de Catulli sermon diss., Friburg 1879 p. 8 sqq.

[2]) Cfr. Zangemeister, de Horatii vocibus singularibus, diss. Berol. 1862. — Herwig, Hor. quat. recte de Lucil. judicaverit, diss. Hal. 1873. — Zawadski, quatenus in satiris Hor. videatur Lucil. imitat. esse, diss. Hal. 1880. — Tyrell, Horace and Lucile, Hermathene, Dublin, IV. 355—76. — Triemel, Ueber Lucil. und sein Verhältniss zu Horaz, Progr. Kreuzn. 1878 p. 19. — Quicherat, rev. arch. 1876 † p. 117 sqq. praeterea: Gerl. proleg. p. XXV.—XXXV.

potuerant extendere chartae". — Nescio an hanc ob causam editor F. I. L. p. 252, quod equidem vix dignum habeam commemorare, etiam Lucilio formam illam librariorum „charte" tribuens contra cates librariorum errorem codicibus intulisset.

lympher i. e. lympha, aqua, v. 1120 (inc. 56): „Imperitorum [limborum; Lach.] + [lympharum; Luc. Müll.]." Si ea vera sanctissima nobis lex est, ut scriptorum contextui, quantum fieri potest, id reddamus, quod libri manuscripti exhibent, jure Lachmannus, cui Quicheratius (Rev. arch. XXXII. p. 363) assentitur, optimorum codd. Nonianorum Harleiani Parisini Guelferbytani Lugdun. I. retinet scripturam „limber", quam medii aevi librarii pro ea, quae est „lympher", non dedisse apertum est. Nimis leviter Janus Dousa priscae speciei formam „limpe" conjecit. Luc. Müll. hanc formam in Lucilii contextum recepit, quasi ita sine ulla dubitatione Lucilium scripsisse certum esset neque constaret, ipso Lucilii saeculo, quod attinet ad orthographiam, summam confusionem et diversissimas rationes viguisse. Vox enim, de qua agitur, quae altera forma vocis „lympha" est, quam peam idem atque graecum illud „νύμφη" esse Mommsenius[1] intellexit, graecae (cfr. S. ind. p. 49) haud dubie est originis, et cum omnino priscis Romae temporibus diu pro graeca litera „y" vocalem „u" posuissent Romani et vitassent aspirationem, ipso VII. saeculo urbis, priusquam tandem „y" et consonarum aspiratio coepissent praevalere, modo „u" modo „i" modo „y" et modo aspirationem usitatam modo neglectam in inscriptionibus invenimus, ita, ut, utrum „u", quod Ritschl in mus. Rhen. X, 449 suadet, an „i", quod O. Ribb. in Jahnii Jahrb. 75, 1875 p. 318 proponit, an „y" Lucilius scripserit, et aspiratione usus sit, quod Ritschl ibid. p. 449 et O. Ribb. ibid. p. 324 facere eum potuisse credunt quidem, sed affirmare non audent, necne, dijudicari nullo modo possit.

δ²) Quibus apte talia nonnulla vocabula, qualia appellant Grammatici *heterogenea*, adjunguntur. Ex eo genere apud Lucilium solum exstant haec:

genus (masc. gen.) pro genu, v. 123 (4, 31): „haeret verticulis adfixum in posteriore parte atque articulis: nam ut nobis talo' genusque est;" ad quod vid. Non. 207, 25: „genu neutri est generis, masculini Lucilius sat. lib. IV. e. q. s." Quod quin recte dixerit equidem non dubito, praesertim cum etiam vocabuli

[1] Cfr. inscr. Muratori 295, 1 (anni 749): „lumpheis Dianae redditis sacr." et Unterital. Dialecte p. 256.

quod est „gelu“ forma „gelus“ masc. gen. ap. Acc. trag. v. 390, Afran. com. 106, Cato d. r. r. 40, 4; Apul. met. 9, 32 tradita nobis sit. Injuria igitur N. I., 347 errasse ratus Nonium, cui nullum succurrat testimonium, Lucilianum illud „genus“ neutrius gen. esse scribit, ut ap. Cic. Arat. 45 sqq. et ap. Prob. ad Virg. georg. 1, 138 „genus“ neutrius generis invenitur. — Ceterum exstat etiam nom. sing.: „genum“ ap. Front. ad Marc. Caes. 5, 44. — Vide R., p. 261 et p. 264.

gladium pro gladius, v. 1141 (inc. 85): „haerebat mucro gladiumque in pectore totum“. Traditum est ap. Non. 208, 12: „gladius masculini, neutri Lucilius: haerebat c. q. s.“ Quam formam in sermone vulgari ejusdem pretii fuisse atque „gladius“ testantur Varro, d. l. l. 9, 49 § 81 et Quint. 1, 5, 16, qui tamen „gladia, inquit, qui dixerunt, genere exciderunt.“ Similiter „gladiolum“ ap. Messallam ap. Quint. 1, 6, 42. Cfr. K. I. § 107, β. Quod R. p. 270 etiam ap. Plaut. cas. 5, 2, 28 neutrius generis esse verbum, de quo agitur, dicit, ap. N. I., 535 jure refellitur.

mundum pro mundus, v. 459 (16, 4):

„Legavit quidam uxori mundum omne penumque.
Quid mundum? quid non? nam quis dijudicet istuc?
(Lachm.)

Cfr. Gell. IV., 1: mundum quoque mulierum Lucilius in sat. non virili genere, ut ceteri, sed neutro appellavit. Similiter Non. p. 214, 16. Vide etiam N. I. 536, K. I. § 107, β; R. p. 272.

messis, masc. gen. pro fem., v. 642 (27, 47): „potius quam non magnum messem, non probam videmiam“ (M.). Sic enim sine dubio cum Aldo et L. Müllero codicum Nonianorum mutilatam lectionem: „magnu messe“ corrigendam esse, satis perspicue ex Nonii lemmate p. 213, 32: „messem generis femini. masculino Lucilius lib. XXVII. cet.,“ concludas. Perperam L. „magno messo“. Cfr. N. I., 675 et R. p. 268.

δ') Numerum autem apud alios, quantum novimus, inauditum praebent haec:

prosecia sing. pro plur. tant.: „prosiciae“ h. s. partes hostiae in sacrificio coctae et dissectae, quae etiam „prosecta“ dicuntur. (Forc.), v. 395 (14, 12): „cenam, inquit, nullam neque divo prosециam ullam“ (L.). Codd. Noniani exhibent „prosectam“ (p. 220, 20) et ipsam formam, quae nusquam amplius inveniatur, etsi „prosectum“ ap. Varr. l. l. 5, 22, 110 et plur. „prosecta“ ap. Licin. Macr. (Non. 220), Ovid. met. 7, 271 et 12, 152 et fast. 6, 163; Lucan. 6, 709; Stat. Theb. 5, 641 tradita nobis sint. Qua voce („prosectam“) nostro loco, nimirum propter spondeum

quinto hexametri versus pede intolerabilem, jam Scaliger offensus cum longius aberrans Varronianum illud „prosiciem“ (cfr. Non. 220, 23 ex Varr. rer. div. lib. IX.) versui Luciliano attribuere proposuisset, una littera mutata „proseciam“ pro „prosectam“ rectius restituisse mihi videntur L. et M., ita, ut prisco singulari numero pro plur. usitatiore „prosiciae“, quem sine dubio Solin. 5, 23, Arnob. 2 p. 231, Mart. Cap. 1, 9 (cfr. etiam „praesiciae“ ap. Arnob. 7, 25) ostendunt, usum esse Lucilium paene certum mihi sit. — Cfr. etiam „prosicium“ ap. Paul. Fest. p. 225, 15 et „insicia“ (plur.) s. „isicia“ ap. Varr. de l. l. 5, 22, 110; Lampr. Heliog. 196, Arnob. 2, 42; Donat. ad Ter. Eun. 2, 2, 26; Apic. 2, 1, 37 sqq. — Praeterea vide N. I. 449 K. I., 115, F. p. 266.

spara, orum, pro „spari“ h. s. „parvissimi generis jacula“ (sic Fest. 330, 18), v. 1115 (inc. 109). Cujus vocis cum ap. Sisenn. hist. 3 frg. 21 (Non. 555, 24), Varr. sat. Men. frg. 293 ed. Büch.; Liv. 34, 15, 4 tradantur formae, quibus genus cognosci nequit, exstant tales ap. Sall. Cat. 56, 3; Virg. Aen. 11, 682 (et Serv. ad h. l.); Sil. 3, 388 et 8, 521; Gell. 10, 25, 2; Isid. orig. 12, 6, 31, quae et sing. „sparus“ et plur. „spari“ ostendant. Lucilius solus ap. Fest. 330 (a) 18 et ap. Non. 224, 2 num. plurali „spara“ utitur. — Cfr. N. I. 545 et K. I. § 107, γ.

sumina plur. vocabuli „sumen“ i. e. uber, v. 1181d (inc. 49): „illum sumina ducebant atque altilium lanx.“ Quae formae propterea imprimis quae memoretur digna mihi videtur, quod N., I., 415 haec dicit: „Von omasum und sumen fehlt der plural,“ K., I., 114a haec: „Zu den sing. tantum aus Sprachgebrauch gehört auch „sumen““.

utria pro utres h. s. sacci, v. 1146 (inc. 91): „Andronis flacci leget utria“ (cfr. supra voc. „Andron.“). Non. p. 231, 29: „utres, inquit, usu generis masculini tantum modo deputantur. neutri Lucilius.“ Hunc autem neutrius gneris pluralem sine dubio sermonis vulgaris fuisse ex Arnob. 1. no. 59 colligas, ubi dicit: aliud „haec utria“, alind dicitis „hos utres“. — Cfr. R. p. 272; N. I. 554, K. § 110c, qui tamen — id quod Luc. Müll. tandem dijudicavit — dubitant, utrum versus ille Lucilii an Livii Andronici sit.

δ^4) Denique finem faciam iis enumerandis, quae, quamvis apud alios declinationis suae observent leges, una casus obliqui forma oblitterata ap. Lucilium solum inveniantur. Sunt:

strigilim, v. 1192 (inc. frag. XLIII.); Charis. enim p. 101: „clavim Tibullus — strigilim quoque Lucilius. — fortasse eundem respicit Non., cum dicit p. 223, 5: „strigilim manifestum est esse

generis feminini." Quos ad testes respiciens etiam v. 1162d (inc. 77): „quidni? scruta quidem ut vendat scrutariu' laudat, praefractam strigilem e. q. s.", cum Gerl. et L. Müllero, sed contra Gellii III., 14, 6 codd. et Lachmanni sententiam, illud „strigilem" in „strigilim" corrigendum existimo. — „strigilem" ap. Plaut. Pers. 1, 3, 44 et Stich. 1, 3, 77, ap. Cels. 6, 7, 1, ap. Apul. flor. 9 p. 36 invenitur. — Cfr. N., I., 203.

milli, v. 422 (15, 14): „hunc milli passum qui vicerit atque duobus e. q. s." et v. 297 (9, 65): „an milli nummum potes uno quaerere centum". Cfr. Gell. I., 16, 10 et Macrob. I., 5, 7. Hunc ablativum vetustissimum nusquam praeterea invenimus. — Vide L. Müll. d. r. metr. p. 380 et N., II., 157.

mediâ nox, v. 98 (3, 22): „hinc mediâ remis Palinurum pervenio nox." Traditum in Parisino 7929 Servii ad Aen. X., 274: „crastina lux: alii more antiquo lux pro luce accipiunt. Lucilius in tertio: „hinc . . . nox pro nocte". — Cfr. L. Müll. de r. metr. p. 380 et comm. p. 204 et N. II., 677.

forcipium pro forcipum (gen. plur. voc. „forceps"), v. 502 (9, 48): „scalprorum forcipiumque milia viginti." Cfr. Lachm. ad Lucr. p. 51; M. comm. p. 227; N., I., 277, ubi similes genetivi plur., velut „principium, municipium, extispicium" ex Accio, Nepote, Cicerone afferuntur.

olerorum pro olerum, v. 243 (7, 27); „calda simitu ac bene plena ei vasa olerorum atque anseris' collus" (M.), ubi „vasa olerorum" jam Ad. Kochius (exerc. crit. in prisc. poet. lat. p. 15) ex codicum Nonianorum Guelf. et Lugd. I.: „iias olorum", quod L. uncis inclusum retinuit, correxit ad exemplum Catonis de r. r. 149, 2: „oleris, asparagis, signis," quamquam idem de r. r. 156, 1 forma „oleribus" utitur. Kochium secuti sunt G. in prol. CXXXIV. L. Müll. d. re metr. p. 393, N., I., 287; R. p. 260, qui e. g. illud „poematorum" pro „poematum" ex Afranio (Non. 493) et ex Varr. et Cic. (ap. Charis.) affert. — De aspiratione vocis holus s. olus modo adhibita modo neglecta vide quae R. p. 462 sqq. et Corssen, Ausspr. I., 47 et 49 disseruerint, unde veram ac primariam formam „holus" pro „folus" fuisse, sed jam Varronem, de l. l. V., 108 hujus rei ignarum „olera" ab „olla" derivare conatum ab aspiratione abhorruisse cognoscimus.

annot.: Vix hic dignum memoria mihi videtur Charisii ille locus p. 40 (ap. L. edit. p. 136; ap. M. dub. V.), ubi aut Caecilii aut Lucilii, quod dijudicari nequit, laudatur vocis

cujusdam genetivus plur., quem Dousa et L. (ad Lucr. 6, 233) „jugerum“ vel „jugererum“, Keilius „naverum“ s. „nicterum“ vel „nuccerum“, M.: „naterum“ legere sibi visi sunt. Equidem lectorem cum res tam incerta sit ad N., I., 283 satis habeo delegasse, cui id tantummodo adjungam, agi fortasse hic ut saepius de epenthesi quadam syllabae „—er“ de qua plura ap. J. p. 238.

Hactenus de substantivis.

Cap. II.: **Adjectiva.**

Adjectivorum a vulgari usu et consuetudine recedentium equidem diligentius re perpensa non tam immensum numerum in C. Lucilii satiris inveni, quanto Gerl. in prol. p. CXXXVII sqq. eas impletas et permixtas esse clamat. Sunt enim *ἅπαξ λεγόμενα* apud Lucilium solum tradita haec:

a. graeca:

α) *αἰγίλιπος* h. e. *οὕτως ὑψηλός, ὥστε καὶ αἶγα λείπεσθαι* (*μὴ ἐπιβαίνειν*) (sic vet. lexica), v. 78 (3, 14): „*αἰγίλιποι* montes, Aetnae omnes, asperi Athones“. Sic sine dubio ex Gell. XVI., 9, 1 codium lectionibus „*αἰΓιαποι*“, „*αἰπιλιπου*“, „*αἰπιλιποι*“ legendum est, quamvis ap. graec. scriptores illius formae exemplum non jam exstet. Cfr. L. Müll., comm. p. 203. Nam v. Iliad. II., 633; V., 15; X., 15, aliis multis Homericorum carminum locis *αἰγίλιψ*, tertiae declinationis forma, tradita est. Rem primo conspectu satis mirabilem Löwe in prodr. p. 337 sqq. ad persuadendum accommodatissime explanavit cum ostendendo, ut praeter „*οἰνώψ*“ diserte traditum haberemus „*οἰνωπός, οῦ*“ aliasque id genus formas gemellas, sic praeter Homericum illud „*αἰγίλιψ*“ etiam „*αἰγίλιπος, αἰγιλίπου*“ exstitisse verisimile esse, tum glossa quadam ad Lucilium jure ab eo relata atque ita restituta: „*αἰγίλιπον* saxum: eminens, ingens, quo nec capellae possunt ascendere“. Injuria igitur Corpetus ad v. l. nostrum vocabulum dicit esse „souvenir d'Homère“.

ἀγέλαστος i. e. risûs expers v. 1200 (inc. 176): Cic. de fin 5, 30, 92: „at hoc in eo M. Crasso, quem semel ait in vita risisse Lucilius, non contigit, ut ea re minus *ἀγέλαστος*, ut ait idem, vocaretur“. Quod voc. „*ἀγέλαστος*“ cognomen apud Graecos philosophis nonnullis, ut qui nunquam risissent, velut Heraclito, Anaxagorae, Aristoxeno inditum fuisse Stephanus rectissime adnotat, quos sine dubio imitatus Lucilius etiam Crassum istum, avum triumviri, per jocum semel „*ἀγέλαστος*“ appellavit. Ad sententiam conf. Hieron. epist. (ap. Luc. Müll. p. 157); Cic. Tusc. disp. 3, 15, 31; Plin. N. H., 7, 19, Amm. Marc. 269, 11; Macrob. sat. 2, 1, 6; Sidon. Apoll. 24, 13. — Vide etiam M. comm. p. 285 sqq.

empleuros i. e. bonis lateribus praeditus, v. 1091 (inc. 97): „pistricem validam . . . . addas empleuron e. q. s.“, ad quod recte M. (comm. p. 280) addit.: „quibus sane quam maxime opus pistoribus“; Corpetus transfert: „solide sur ses hanches“. Graecum *ἔμπλευρος* tantummodo in Geopon. exstat. Cfr. etiam *ἐμπλευροῦν* ap. Soph. fragm. 50.

εὔφωνος i. e. bene sonans (ap. L. p. 138; M. l. IX. frgm. 33). Curius Fortunatianus artis rhetoricae III., 6 p. 124: „ut, quae verba magis sonantia sint, ea potius collocemus; quae Lucilius *εὔφωνα* appellat i. e. quasi vocalia“. Cfr. „euphonia“ subst. ap. Prisc. 541P et Donat. 1751P.

herpesticos i. e. latius serpens, v. 20 (1, 16) „serpere uti gangraena mala atque herpestica posset“. Sic cum Fr. Dousa et Lachm. scribendum puto pro codicum Nonianorum p. 117, 21: „malo“ (Luc. Müll.: „malum“) ita, ut „herpestica“ nom. sing. fem. gen. adjectivi „*ἑρπηστικός*“ ad voc. „gangraena“ pertinentis fiat, non nom. plur. substantivi „*τὸ ἑρπηστικόν*“, quod M. in comm. p. 196 nescio an ad Hippocratis „*τὰ ἑρπηστικὰ* i. s. ulcera, quae serpunt“ respiciens velit. Eodem illo adjectivo Eustath. Od. 1502, 55; Basil. Mag. I. p. 63; Polluc. 4, 206 (cfr. Lachm. annot. ad v. l.) usas esse Henric. Steph. adnotat; pari sensu etiam adj.: „*ἑρπυστικός*“ Aristoteles aliique usurpaverunt. — Ceterum Hadrianum Junium et Gerlachium sine necessitate illud „herpestica“ in „herpes ita“ mutasse breviter addam; quo de subst. „herpes“ i. e. *ἕρπης* conf. Plin. 26, 14 (87), 145; Apul. herb. 3 no. 18; Plin. 30, 13 (39), 116. — Vide S. ind. p. 43.

ληρώδης i. e. nugatorius, v. 159 (5, 14): . . . . quod *τεχνίον* Eisocratriumst *ληρῶδες*que simul totum ac *συμμειρακιῶδες* e. q. s.“ Codicum Gellianorum (XVIII., 8) lectiones „*ὀχληρῶδες*que“ s.

„ὀχληροδεςque“ s. „ὀχληρωδεςο“, quae una abundantes syllaba a metro abhorreant, optime Scaliger correxit et restituit. Cfr. M. comm. p. 211. Hertzius „ὀχληρουque“ i. e. molestumque, quod parum ad sensum totius sententiae quadrat. — Graecum illud ληρώδης e. gr. ap. Plat. Theaet. 174d; Arist. rhet. 3, 13, 2; H. A. 6, 31 posterioresque invenimus. — Ceterum Jordan, krit. Beitr. p. 243 de hybrida illa forma „ληρῶδεςque“ haec exposuit: „Ich traue weder *Φαίνων*que dem Cicero (de nat. de or. 2, 20, 52) noch ληρῶδεςque dem Lucilius zu. Ja es bedürfte noch einer eingehenden Untersuchung, ob nicht die Schriftsteller Griechisches vielfach und besonders wo sie einzelne Wörter organisch in das Gefüge der latein. Rede verwebten, lateinisch geschrieben haben, wie es z. B. im monumentum Ancyranum 5, 19 heisst: „in Ar(a)biam, quaequae appel(latur) eud(ae)mon.“ e. q. s.

megas i. e. *μέγας*, v. 201 (6, 20): „thauma mega, inquit, balba sororem e. q. s.“ Vide s. v. thauma.

ὠμοτριβής i. e. crude, prelo pressus, v. 855 (inc. 129): „ὠμοτριβές oleum Casinas“ (Prisc. p. 762); sic L. et M. Vide L. Mülleri annot. crit. p. 150: „ὠμοτριβές Krehlius, *OMOTPIBCC* Bamb., ***OMOTPIBE*** Heidelberg, ***OMΩTPIBE*** Paris. 7496 m. 2. reliquas hujus voc. corruptelas ortas ea re, quod irr. ex marg. glossa ἐλαία ἄγριος videre est ap. Hertzium“. Cfr. illud ὠμοτριβές ἔλαιον ap. Theophr. ap. Athen. II., 67, b. Aliud praeterea hujus vocabuli exemplum non inveni.

oxyodus i. e. acutis dentibus praeditus, v. 871 (30, 44): illo quid fiat, Lamia et Pytho oxyodontes quod veniunt e. q. s.“ (M.) E corrupta codicum Nonianorum p. 117, 33 lectione: „Pitto ixiodontes“ Scaliger verum haud dubie repperit. Idem voc. „ὀξυόδους“ ex Nonn. Dionys. 40, 484 et ex Bekkeri Anecdot. Pape (in Lex. suo) affert.

συμμειρακιώδης i. e. puerilis s. ineptus, melius Pape: „zugleich oder ganz kindisch“, v. 159 (5, 14); cfr. ληρώδης. Codd. Gellii XVIII., 8: „symmiraciodes“ vel „synmiraciodes“ vel similia. Cujus vocabuli ex „συν“ et „μειρακιώδης“ compositi [vehementissime mea quidam sententia F. p. 257 l. l. errat, cum vocem hybridam esse et compositam ex „sub — μειρακιώδης — sine ulla causa contendat] apud Graecos exempla omnino desunt. Simplex v. „μειρακιώδης“ e. gr. ap. Plat. rep. V., 466b saepiusque, ap. Arist. rhet. 3, 11; ap. Polyb. 10, 33, 6, saepissime apud Lucianum invenitur.

His addi potest:

rhetoricoteros i. e. magis oratorius v. 995 (inc. 62): „Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis". Traditum ap. Cic. de orat. III., 43, 171, ubi cod. Abrincensis „ne rhaetorico te rufius eis"; in aliis alia vitia sunt. Adj. quidem „rhetoricus" satis cognitum est ap. Romanos; sed conf. L. Müll., de re metr. p. 392; et comm. p. 277: „comparativo adjectivi Graeci Graeco solus inter poetas Latinos usus est Lucilius". „Neque posterioribus, ut ait Herwig, diss., l. l. p. 13, probatum est, quod graeca vocabula „s" littera truncavit (Lucilius), [cfr. Lachm. ad Lucr. p. 29 et 272], cujus licentiae praeter illud alterum exemplum est: „scorpi' cauda sublata (v. 30, 110)". — Ceterum perverse Saalfeld, ind. p. 70 illud „rhetoricoteros" non nom. sing. masc. adjectivi, sed adv. „ῥητορικωτέρως" esse putat, quod vix refutatione dignum mihi videtur esse.

β) Ex Homeri carminibus haec sunt tracta:

eupatereia i. e. claro patre nata, v. 471 (17, 2): „. . . *Τυρῶν* eupatereiam aliquam rem insignem habuisse e. q. s." Sic vel *Τυροῦν* (vel Tyronem), ne elisio fiat ante sequentem vocem „eupater . . . .", et „eupatereiam" (M.) vel „εὐπατέρειam (sic G. et L.), ut elidi possit ante sequens vocab. „aliquam", pro „*Τυρὼ* εὐπατέρειαν codicum Nonianorum p. 25, 31 corrigendum et scribendum esse, Maur. Hauptius in Philologo, I. p. 163 et L. Müll., Rhein. Mus. 24 cognoverunt. — Cfr. J. p. 243· — Vide S. ind. p. 5, qui h. v. etiam Petronium 37 usum esse credat; sed hanc Reinesii conjecturam pro tradita veraque lectione „lupatria" jam dudum Fr. Bücheler in edit. s. Petron. p. 23 e contextu ejecit. — Graecum illud „εὐπατέρεια" exstat Iliad. 6, 292; Odyss. 22, 227; *Τυρὼ* εὐπατέρεια Odyss. 11, 235, saepius ap. posteriores poetas Graecos, velut ap. Ap. Rhod. 1, 569; Mosch. 2, 29, Eur. Hipp. 67.

euplocamos i. e. bene ornatus comis intortis s. calamistratus, v. 868 (30, 58): „euplocamo digitis discerniculumque capillo". Exstat idem voc. Odyss. 5, 125; 5, 490; 7, 41; 20, 80; Iliad. 11, 624; 18, 48 saepiusque; cfr. praeterea Eur. Iph. Aul. 791: „εὐπλ. . . κόμαι."

καλλιπλόκαμος i. e. pulchris comis praeditus, v. 469 (17, 1): „num censes καλλιπλόκαμον, καλλίσφυρον ullam tum licitum esse uterum atque etiam inguina tangere mammis?" cfr. Müll., comm. p. 240 sqq. et Rhein. Mus. 24. Invenitur e. gr. Iliad. 18, 407; 14, 326; praeterea ap. Pind. Ol. 3, 1 et Eur. Iph. Aul. 1040.

καλλίσφυρος i. e. pulchris talis s. pedibus praeditus, v. 469 (16, 1); conf. s. v. *καλλιπλόκαμος*. Idem voc. legimus Iliad. 14, 319; Od. 5, 333 saepiusque; ap. Hes. Theogon. 384, 507; Lucian., dialog. mort. 16, 1.

Annot. 1. Adjectiva „prymnesios“ (3, 45, M.) et „panaethos“ (11, 16, M.) utrum cum Luc. Müll. jure et sine dubitatione contextui Luciliano possint innecti, an non, certa cum desint argumenta, vehementer mea quidem sententia quaeritur; melius L. utrumque praetermisit. Illud enim a Paul. diac. p. 224, 16 memoriae proditum hisce verbis: „*prymnesius* palus“, ad quem funis nauticus religatur, quem alii tonsillam dicunt“ (cfr. M. p. 16 edit. suae), ex Lucilii satiris, nedum ex tertio earum libro manasse desiderantur testes; et hoc „panaethos“ (i. e. splendidus, liberalis, sic Luc. Müll.) Lucilio ideo non sine dubitatione potest tribui, quod v. 347 (11, 16): „Luciu' Cotta senex, Crassi pater hujus' panaethi e. q. s.“ (sic M.), ubi codd. Noniani p. 22, 29 vel p. 338, 10 corruptelas exhibent has: „paneci, paceni, pacem“, sensu obscurissimo nunquam dijudicare possumus, utrum „crassi — Panaeti“ (sic Francken., conj. II., 59), an „Crassi — Panaeti“ (sic Düntzer ap. Gerl. edit. p. 149), an „Crassi — *παναίθου*‘, (sic Gerl. in edit. et prol. p. XIX.), an „Crassi — panaethi“ (Luc., Müll. in edit. et comm. p. 232), restituamus. — Ceterum illud „*πάναιθος*“ *ἅπ. λεγ.* est Iliad. 14, 372.

annot. 2. Summa cum confidentia haec penitus ex contextu satirarum Lucilii delenda existimo:

[1]) Perperam anophelos i. e. inutilis. Lachmannus v. 232 (7, 21): „testam sumit homo Samiam sibi, „anophelê“, inquit, praecidit caulem testisque una amputat ambo“ [cfr. L. ad Lucr. 93] et

[2]) *ἀπειρόκαλος* i. e. inhonestus, eodem versu: „. . . . Samiam atque ibi: *ἀπειρόκαλε!* inquit e. q. s.“ M. [cfr. comm. p. 218] et contra cum Francken. l. l. [p. 261) conjecerunt.

Codd. enim Nonii p. 398, 29 cum haec praebeant „anunotelo“ (vel „anunetelo“), una littera sola mutata unaque exstincta evidentius verum mihi videtur invenisse Munro in journ. of. philol. VII. (14) p. 293 sq., qui Lucilii illa verba a Gellio IV., 16, 6 tradita: „anu noceo“ [v. 1059 ap. L.; v. 4, 9 ap. M.] nostro, de quo agitur, versui inserere proposuit, ita, ut versu nostro „Samiam atque ibi: anu noceo,

inquit, e. q. s." vel potius cum Baehrensio (ap. Bursian. 1878 p. 168): „... Samiam, „„tibi anu noceo"" inquit, e. q. s." optime legamus.

[3]) adj. „myctyris" i. e. vilis, quod in comm. p. 243 ἀπὸ τοῦ μύσσειν i. e. emungi derivat, M. pro codicum Nonianorum p. 137, 28 lectione „mictyris" a Lachm. uncis inclusa in contextu posuit h. versu: „pulmentaria et intubus aut aliqua id genus herba et jus menarum bene habet, sei myctyris haec est." Sed aliud huj. voc. exemplum neque apud Graecos neque ap. Latinos exstat ejusque fictio et derivatio a L. Müll. proposita vehementer vacillat et veri satis dissimilis est; cfr. F. p. 253. Quod Lachm. in annot. p. 97 edit. cautius conjicere conatur: .... „si mystila (i. e. frustum) sicca est," siquidem vestigia scripturae codicum quantum maxime potest retinenda sunt, non bene quadrat. Immo optime vera restituitur lectio, si cum Quicheratio, rev. arch. XXXII. p. 360 pro „myctyris" scribatur „mictilis", de quo cfr. infra.

[4]) Versu 443 (15, 32) exhibent codd. Noniani p. 536, 17: „scit poeticon esse, videt, tunica et toga quid sit," ubi M. pro „poeticon" conjecit: „poleticon" i. e. pertinens ad venditionem, quod adj. „πωλητικός" ἅπ. λεγ. est ap. Plat. Soph. 224 d. Contra bene O. Keller (Neue Jahrb. für Phil. 109 p. 274 sqq.): „poleticon", inquit, ist sinnlos; mindestens, wenn man die Worte auf einen Kleinhändler bezieht, sollte es „polcticos" heissen, und wie unwahrscheinlich ist es, dass Lucil dies höchst seltene Wort (ἅπ. λεγ.) gebraucht hat .." Rectissime igitur haud dubie Junius et Q.: „ποιητικόν", L. „poeticon" emendaverunt, ita, ut, si Kellerum l. l. sequimur, hic fiat sensus totius versus: „Der (Weise) weiss Dichtung und Wahrheit zu unterscheiden, er weiss, was Hut ist und was Haube."

---

b. latina:

α) Ad adjectiva latina a Lucilio solo usurpata jam cum transeam, ab iis exordium peto, quae cum non possint ultro intellegi haudquaquam dubium est, quin non Lucilius ipse finxerit. Sunt:

remillus i. e. repandus, v. 1107 (inc. 104): „suda ◡—◡◡ —◡◡ —◡◡ —◡ remillum". Nam Paul. diac. p. 137: „remillum dicitur quasi repandum" et Fest. p. 277, 20: „re (millum dicitur quasi repandum [supplevit M.]): Lucilius „suda remilium",

quod L. et M. recte in „remillum“ correxerunt. Ceterum ut sententia totius mutilati fragmenti, ita origo illius adjectivi, quod nusquam alibi invenitur, obscurissima est.

sollus i. e. totus, v. 1109 (inc. 106): „„vasa quoque omnino derimit.“ — „non sollo dupundi“ “. Sic praeclare diverbium significavit et restituit M. (cfr. comm. p. 281). Tradiderunt h. v. Fest. p. 298 et Paul. p. 299 hisce verbis: „sollo (sic!) osce dicitur id quod nos totum vocamus. Lucilius: „vasa (cod.: suasa) . . . non sollo dupundi i. e. non tota.“ Propter id „tota“ Ursinus, Dousa p., L. etiam „solla“ pro „sollo“ corrigere cum proposuerint, equidem simpliciter codicis lectionem, Gerlachium, L. Müllerum secutus illud „sollo“ retineam; cfr. Georges. Lexic.: „Fest. 298, 5 sollo oscisch = plur. tota“; K. I. p. 360: „sollus = ὅλος, scr. sarvas = omnis (vide Fest. p. 293, 15: „sollum osce totum et solidum significat“);“ Bücheler, Mus. Rhen. 33 p. 47.

stlembus i. e. gravis, tardus, v. 1112 (3, 32): „Apulidae pedibus stlembi“. Cfr. supra „Apulides“. Cujus adjectivi — nam adjectivum esse ex Festi verbis supra laudatis concludere nobis licet — origo obscurissima sine dubio est neque usquam aliquid de ejus etymo inveni. Hoc unum modo constare mihi videtur, haudquaquam, ut „stlis“ pro „lis“ (Quint. 1, 4, 16) et „stlocus“ pro „locus“ (ibid. et Fest. 313 et 314) [Corssen, Aussprache etc. p. I., 79], sic etiam „stlembus“ pro „lembus“ scriptum et translate usurpatum esse, cum illud „lembus“ (λεμβός) (cfr. S. ind. p. 47) i. e. cercurus, celerrimi navigii genus ap. Plaut. Bach. 279 (2, 3, 45) et 958 (4, 9, 34), Liv., Curt., Virg., e contrario non tarditatis et pigritiae, quam Festus vult, sed celeritatis notionem in se contineat. — Similiter etiam voc. „stlata“ ap. Auson. ep. 22, 31 et Gramm. et „stloppus“ ap. Pers. 5, 13 vix conjectura explanari possunt.

tapullus s. Tappulus i. e. convivalis, v. 1189 (inc. 178): „Tappulam (G.: tapullam) rident legem concenae optimi“. Cfr. supra v. „concena“. Vide Fest. p. 363, 21: „Tappulam legem convivalem ficto nomine conscripsit jocoso carmine Valerius Valentinus, cujus meminit Lucilius hoc modo;“ et Paul. p. 362: „Tapulla dicta est lex quaedam de conviviis.“ Est igitur voc. fortasse a Valerio comico VII. saeculi fictum, quod Lucilius solus memoriae prodidit. Cujus origo mirum quantum latet. Gessnerus in Thes. „a tabula dictum“ esse censet; in annotatione Lachmannianae editionis p. 136 haec invenimus scripta: „Legis quamvis fictae nomen non potuit non esse sono et forma gentilicium, puto fuisse

„Tappuviam“. Pacuvii nomen et in Festi codice et in aliis fere scribitur Pacuius.“ Equidem rem in medio relinquere cogor.

vatax i. e. pedibus vitiosis praeditus v. 1031 (28, 55): „ut si progeniem antiquam, qua est Maximu' Quintus qua varicosu' vatax . . . . .“ . Non. p. 25, 14: „Vatrax et vatricosus, pedibus vitiosis. Lucilius lib. XXVIII.: „ut si . . . . quintus vacax qua varicosus vatax“. Tres igitur unius vexatissimi ejusque, quod attinet ad etymon et originem, obscurissimi vocabuli exstant formae: „vatrax, vacax, vatax“, ex quibus vere Luciliana magnopere et disquirenda et restituenda nobis est. Ac mihi quidem, cum Gerl. in Lucilii versu audacter „vacax“ in „Vatia“ et parum fastidiose „vatax“ in „vatrax“ commutaverit, omnino alterum — id quod L. et M. rectissime cognoverunt — aut „vacax“ aut „vatax“ supervacaneum videtur esse. Quae cum ita sint, si illud „vacax“ (s. „Vatia“ Gerlachii, s. „varax“, quod F. proposuit, contractum, ut ait, — mirabile auditu! — ex „varicax“ [pro „varicosus“], quod nusquam exstat!) scriberemus, versus trochaicus existeret: („ut si progeniem antiquam, qua est Maximus Quintus VACAX“), cui metro cum verba sequentia „qua varicosu' VATAX“ — id quod Gerlachium fugit — repugnarent, cum Franckenio (cfr. Mnemos. p. 281) ea delenda essent, ut postea demum addita vel glossa librariorum. — Sed unum illud „vacax“ potius (tamquam dittographia similive modo interpositum), quam haec tria verba: „qua varicosu' VATAX“, e contextu Lucilii cum L. et M. exstinguentes, quae restant, optime ad numerum dactylicum alligemus. — Quo facto tamen utrum Nonii lemma an Lucilii fragmentum ab illo traditum veram vocabuli, de quo agitur, praebeat lectionem quaestio est. L. rem integram reliquit, M. autem „vatax“ scribendum censuit hisce verbis (comm. p. 258): „id quod est „vatax“ etiam in verbis Nonii reponendum apparet ex verbis Lucilii, nam nisi illud voc. antiquitus fuisset traditum, non provenisset per dittographiam „vacax“.“ Quod ego quoque comprobem et affirmem hisce argumentis: Inter duas litteras „a“, quas omnes tres lectiones „vatrax“, „vacax“, „vatax“ exhibent, primitus non duas consonas sed unam modo positas fuisse, duo testantur testes („vacax“ et „vatax“) contra unum illum testem „vatrax“; et istam unam consonam nec „r“ nec „c“, sed „t“ fuisse, imprimis, ut opinor, ex adjectivo quodam ejusdem notionis Varroniano (de r. r. 2, 19, 4) „vatius“, quod etiam ap. Ulp. dig. 21, 1, 10 extr. exstat, sequitur. Ergo „vatax“ v. 1031 (28, 55) scribendum est.

annot.: Fabulae fere simile est, quod Nonii cod. Guelferb. ad l. l. habet in margine adscriptum: „a ranae vocabulo, quod

graece „votrax“ (βάτραχος) dicitur;“ quo permotus etiam Forcellinius s. h. v.: „vatrax autem, inquit, esse videtur, qui tortis est pedibus instar ranae, quae Graece βάτραχος.“ Nullo enim exemplo comprobatur, sicut terminationem „—ces“ in x (cfr. Pharnaces — Pharnax ap. Prisc. c. VI., 94, Poloces — Polluces — Pollux) et „—cis“ in „x“ (cfr. artifecis — artifex; bijugis — conjux), sic etiam „—χος“ vel „—cos“ in „x“ unquam contractum esse et posse omnino contrahi.

β) Quibus praemissis ea aggredior adjectiva singularia Luciliana, quae unde derivata sint sive ab iis, qui Lucilio antecesserant, scriptoribus sive a Lucilio ipso non jam difficile potest perspici.

β¹) Cujus generis primum duo inveni ἅπ. λεγ. adjectiva, quae originem suam haud dubie a verbis ducunt, haec:

mictilis i. e. in quem mingi potest s. dignus in quem mingatur s. contemnendus, v. 883 (20, 4): vide supra v. myctyris. Exhibent enim Nonii p. 137, 28 codd. in lemmate has lectiones: „myctyris“ (Bamb. ed. Lugd. 2), „mictiris“ add. l. supra r lineola transfixum et in marg. „mictilis“ (Guelf.), „mictyris“ (Lugd. 1.); et in Lucilii versu ibidem „mictilis“ jam edd. ante Aldinam praebuerunt. Hoc „mictilis“, quod, cum „mictyris“ et „myctyris“ nusquam neque apud Graecos neque apud Latinos exstent scriptores vagaque solius L. Mülleri conjectura frustra quodammodo sustineantur, cum Quicheratio redditum velim contextui Luciliano, est sine dubio simplex forma (ficta a verbi quod est „mingere“ supino „mictum“) compositi illius adjectivi „commictilis“, quo Pompon. com. 138 ed. O. Ribb. usum esse videmus.

monstrificabilis i. e. qui monstrificari s. monstrari potest, mirificus, mirus, v. 565 (26, 50): „nunc ignobilitas his mirum (taetrum, add. M.; vitium, add. F.; monstrum, add. O. Ribb., Mus. Rhen. 29 p. 118 sq.) ac monstrificabile.“ Traditum est ap. Non. 138, 25: monstrificabile Lucilius lib. XXVI.: nunc ignobilitas his mirum ac mortificabile.“ Quo in versu et adjiciendum esse traditis verbis unum trochaicum pedem et illud „mortificabile“ i. e. quod mortificari s. necari potest, quod l. l. sensu careat, secundum Nonii lemma in „monstrificabile“ corrigendum esse, dudum viri docti intellexerunt. — Ceterum cfr. M. comm. p. 249: „irridet illud „monstrificabile“, ut alibi id quod est „contemnificus“ (vide infra h. v.), et Persius sat. 1, 78 Pacuvii „luctificabile“. — Vide infra etiam „genitabilis“ et „exoptabilis“.

β^2) Deinde maxime memorabilia sunt adj. *denominativa,* e quibus haec a nominibus appellativis derivata ap. Lucilium solum reperiuntur:

aceratus i. e. acere vel paleis mixtus, v. 292 (9, 47): „nam laterem qui ducit, habet nihil amplius unquam quam commune lutum et paleas caenumque aceratum“ (M.). Sic paucis correctis a Junio et Fr. Dousa Non. p. 445, 21 exhibet. Vide etiam Paul. 187, 7: „lutum aceratum paleis mixtum.“ Finxisse autem Lucilium hoc adj. ex eo concludas, quod praeterea solis in iis, quae aetatem tulerunt, ejus reliquiis haec quattuordecim extant adjectiva in „—atus“ desinentia eaque a substantivis appellativis ficta:

„adipatus“ V. frg. X.	dimidiatus inc. 78; 6, 13	pinnatus 26, 34
„auratus“ 2, 26	impuratus 2, 1	papaveratus inc. frg. CXXXIX.
„barbatus“ 30, 77	illitteratus 26, 32	
„capitatus“ 2, 21	inusitatus 6, 33	vermiculatus inc. 34
„cretatus“ inc. 140	paludatus 10, 9	viscatus 28, 58.

ratitus i. e. ratis imagine ornatus, v. 1081 (inc. 113): „quadranti' ratiti“. Traditum ap. Varr. de l. l. V., 44: „Velabrum a vehendo . velaturam facere etiam nunc dicuntur qui id mercede faciunt. merces huic vecturae, qua (codd. „qui“) ratibus transibant, quadrans. ab eo Lucilius scripsit: „quadrantis ratiti“. Cfr. etiam Fest. p. 274 (a), 10 sqq. (Paul. p. 275, 3) ap. Luc. Müll. edit. p. 147 in annot. crit.: [ratitum quadrantem] Tarqui [tius . . .] et Opilius [Aurelius dictum putant, quod] in eo et tri[ente ratis fuerit effigies], ut navis in as[se . unde Lucilius] quoque ratitum [dixerit quadrantem].

acerosus i. e. aceris s. paleae plenus, v. 4, 21 (15, 29): „quae gallam bibere ac rugas conducere ventris farre aceroso, oleo decumano poena coegit?“ (M.). Optime codicum Nonii p. 445, 14 corruptelas: „olei decumano pane Cumano“ L. Müllerum correxisse, cum L. pro „olei“ audacius Catonianum (de r. r. 149, 2) illum dat. plur. „oleris“ (pro „oleribus“) Lucilio attribuere ansus esset, neminem fugit. Cfr. M. comm. p. 239. Ibidem Nonius: „acerosum namque panem farre (codd.: ferre) minus purgato (codd.: purgatio) nec sordibus a candido separatis dicendum veteres putaverunt.“ Cfr. Paul. ex Fest. 187, 7.

labosus i. e. lubricus, v. 88 (3, 10): „praeterea omne iter est hoc labosum atque lutosum“. Nonii p. 489, 11 errorem, h. v. a „labos“ pro „labor“ derivatum esse, M. comm. p. 203, ubi multos ejusdem generis errores Nonianos enumerat, jure redarguit;

apparet enim „labosum“ venire a „labe“. Similiter L. edit. p. 11 annot. Praeter necessitatem, ut opinor, O. Keller (Neue Jahrb. für Phil. et Paed. 109 p. 274 sq.) „labosus“ in „lamosus“ i. e. paluster commutandum existimat scite quidem recordatus illud Ennii v. 551 ann.: „silvarum saltus latebras lamasque lutosas.“ Illud „labosus“ commemorat R. p. 237.

squarrosus i. e. crusta obductus, porriginosus, v. 1114 (inc. 108): „varronum ac rupicum squarrosa, incondita rostra.“ Vide Paul. 328: „squarrosi ab eadem squamarum similitudine dicti, quorum cutis exsurgit ob assiduam illuviem;“ et Fest. 329 similiter mutilatis verbis. Cujus adjectivi vocabulum principale in lingua latina nescio quomodo perierit; exstat autem in lingua Graeca, si Scaligerum sequimur, ejusdem indogermanicae, ut ita dicam, originis forma „ἐσχάρα, velut ap. Arist. probl. 1, 32 et Beckeri Anecd. 257, quae significat „ulceris vel vulneris crustam“. — Ceterum cfr. Löwe, prodr. p. 317, qui antea novum huj. adj. *ἅπ. εἰρημ.* exemplum in glossa quadam sese invenisse ratus hunc errorem intellegit et corrigit.

tricosus i. e. dolis malitiosus s. insidiosus, v. 350 (11, 27): „hic 'st tricosu' bovinatorque ore improbu 'duro.“ Quod adjectivum equidem cum Gessnero, Lachmanno, Frankenio (p. 264, Mnemos.), Löwio (p. 328 prodr.) contra Gerlachium et L. Müllerum haud ambigue contextui Luciliano attribuendum vel reddendum existimo, ita, ut, cum Gellius XI., 7 male „hic strigosus“ tradat, codicum Nonianorum p. 79, 25 lectio: „hic sitricosus“ levissima sola unius litterae „i“ in „t“ admissa mutatione suo jure sustineatur. Nam primum h. v., sive ad tergiversatorem sive ad conviciatorem (cfr. supra v. „bovinator“) pertinet, ad sententiam unice aptum est, cum „strigosus“ (i. e. macilentus, macer) quid commune habeat cum hoc aut illo profecto non appareat; tum glossae illius Placidianae: „bovinator: tricosus et inconstans“ interpretamentum „tricosus“ et exstitisse hoc vocabulum et, si quid video, a glossographo ex ipso Lucilii versu haustum et ad interpretandum alterum adhibitum esse probabilissime demonstrat. Cfr. Löwe l. l. — Subst. trico ap. Plaut. Bacch. 2, 3, 46 (280); ap. Capitol. Ver. 4 § 6; ap. ipsum Lucilium bis v. 344 (11, 17) et 348 (11, 25) invenitur. — Praeterea alia undeviginti fere ejusdem generis adjectiva in „—osus“ desinentia eaque saepius usitata, quantopere Lucilius hac terminatione delectatus fuerit, certissimo documento sunt, velut:

animosus 965	formosus 127 et saepius;	pilosus 54
cariosus 870	invidiosus 563	podagrosus 283
cerebrosus 428	lacrimosus 162	religiosus 735
dolosus 947	lutosus 88	rugosus 371 et 491
famosus 359	maculosus 951	scelerosus 25
fastidiosus 574	odiosus 1123	varicosus 1031
		virosus 234.

Restant haec singula in „—ius“ et „—ilis“ finita:

crucius i. acerbus, 1183 (inc. fr. XX.): Traditum ap. Paul. diac. p. 53, 4 hisce verbis: „Lucilius vinum insuave crucium dixit“ et derivatum sine dubio a subst. „crux“. — Contra „cruciabilis“ saepius ap. Plaut. Amm. Arnob. Lact.

annot.: V. 1007 (inc. 67), quem sic rectissime, ut opinor, M. posuit: „Quid Decius? nuculam an confixum vis facere? inqnit,“L. tali expressit modo: „quid decius nuculam e. q. s.“ Quid hoc sibi velit „decius“ littera minuta „d“ non „D“ scriptum, quod diu mendo typographico factum ratus eram, non jam intelligo, ex quo idem „decius“ etiam in Harderi indice Luciliano p. 15 repperi. Immo eundem P. Decium, qui anno 120 L. Opimium C. Grachi interfectorem in jus vocaverat, significari cum Franckenio et L. Müllero (comm. p. 279) verisimile est.

herbilis i. e. herba pastus [Paul. diac. 100, 13: herbilis anser, herba pastus, qui gracilior est quam frumento altus], v. 1160 (5, 19): „anseris herbilis virus“, quae verba cd. Leidensis 80 Servii ad Virg. Georg. I., 129 ex Lucilio sumpta affert. Alibi nihil de hoc voc. inveni, cujus et formatio in „—ilis“ correpta littera i, cum omnia fere ejusdem terminationis adjectiva a nominib. appellativis derivata producta „i“ in „—îlis“ finiri soleant, et mira significatio „herba pastus“, quae quominus ipsum voc. non a subst. „herba“, sed potius a verbo „herbare“ i. e. herbae plenum esse [ἅπ. λεγ. ap. Apul. met. 7, 15] derivemus itaque transferamus: „qui herbâ potest pasci s. ali,“ nos impedit, haud dubie digna sunt, quae respiciantur.

annot.: Denominativum ἅπ. λεγ. est etiam adj. murmillonicus i. e. ad murmillonem h. e. gladiatorem (cfr. schol. Juv. 8, 200) pertinens, quod M., quamvis certi omnino desint testes, hisce verbis „murmillonica scuta“ ex Paul. p. 144, 12 tractis lib. IV., 27 editionis suae Lucilii contextui inseruit. Cui audaciae jam qui recensionem in „Göttinger

Gel. Anz. 1873, 1401 sqq." scripsit, suo jure obstitit, quare dicere plura de hoc loco supersedere possum. —

A nomine proprio unum adj. ἅπ. λεγ. Lucilianum ductum esse nescio an jure putemus hoc:

Troginus, v. 869 (30, 104): „cuia opera Troginu' calix per castra cluebat." Sic enim ap. Non. p. 81, 31 et 87, 32, quibus locis bis idem laudatur versus, traditum est, ita, ut vix dubitari possit, quin lectio vera „Troginus" sit, h. e. adjectivum derivatum a nom. propr. quod est „Trogus", si Turnebi sequimur interpretationem; quamquam idem etiam de „Trocinis" Gallis cogitaverat. Cfr. M. comm. p. 271. Praeter rem Scaliger hoc „Troginus" in „terginus" i. e. „scorteus" mutavit, quod adj. nusquam exstat. Vide etiam Löwe p. 333, qui Isidori glossam quandam „trocinus: sectae genus arduum", quam Scaliger perperam ad Lucilium rettulerat, sic corrigit: „trochus: rotae genus ad ludum."

Simul Homerico illo adjectivo a nom. propr. derivato „Ἰξιόνιος" hisce verbis ex Il. 14, 317 sumptis: Ἰξιονίης ἀλόχοιο" utitur v. 28 (1, 25): „ut contendere possem Thestiados Ledae atque „Ixiones alcholocheo", quod Mercerius recte in „Ixionies alochoeo" correxit; intelligitur enim Dia, Ixionis uxor. De sententia cfr. Lachm. edit. p. 4 annot.

β^3) Haec denique exstant adj. composita, quae quidem a Lucilio ficta esse non temere contendere mihi videor:

agipes i. e. pedem agens i. e. celer, v. 1098 (inc. 102): „agipes ut vocem mittere coepit". Ad quod Fest. p. 210: „pedarium senatorem, inquit, significat Lucilius quom ait: „agipes u. v. m. c.", qui ita appellatur, quia tacitus transeundo ad eum, cujus sententiam probat, quid sentiat indicat". Ceterum nulla cogente causa L. hoc „agipes" in „Gai pes" mutasse apertum est; primum enim „agipes" nihil nisi lepida vocis „pedarius" exsuperatio per iocum a Lucilio ficta mihi videtur esse; deinde quadrat „agipes" multo melius ad sensum, cum homo „agipes" quidem nec mehercle pes alicujus „vocem" mittere possit; denique adjectiva cum „—pes" composita, velut illa „celeripes" ap. Cic. ad Att. 9, 7, 1; Auson. epigr. 146, 32; parent. 27, 4 et „tardipes" ap. Catull. 36, 7 et Col. poet. 10, 419, haudquaquam rara apud Latinos scriptores inveniuntur.

contemnificus i. e. despiciens s. quod nos dicimus: „verächtlich thuend", v. 548 (26, 41): „ego enim contemnificus fieri et fastidire Agamemnonis". Fictum est haud dubie per ludibrium ad tragicos carpendos, quos audacia et frequentia similium compositorum velut „flammicomans, frugiferens, raucisonans" floruisse

Luc. Müll. de r. metr. p. 382 sqq. accuratius explanavit. Cfr. etiam R. p. 228. — Cfr. supra v. „monstrificabilis“.

Quibus haud scio an jure adjiciendum:

herbigradus i. e. in herba gradiens, v. dub. 8, cfr. supra v. „domiporta“. — Similiter Pacuv. (frag. 2, O. Ribb.): „tardigradus“ adj. usurpavit.

> **annot.**: Quod L. v. 617 (28, 41), ubi codd. Noniani p. 491, 29 exhibent: „praeterito tepido glutinator glutino“, velut dittographia (scil. iterum „—terito“ pro „—tepido“ cum scriberent) librarios mendum intulisse ratus novum adj. neque usquam traditum „praetepidus“ finxit, mea quidem sententia male fecit. Itemque sine causa M. „praeterito“ in „praetreito“ mutavit. Quid? Nonne optime et simplicissime Nonianis illis verbis, ut sunt, relictis cum Franckenio p. 278 l. l. v. „praeterito“ imperativum verbi „praeterere“ esse judicemus?

γ) Abundantia haec inveni ἅπ. λεγ. Luciliana:

Aethiopus pro Aethiops s. Aethiopicus, v. 83 (3, 9): „rhinoceros velut Aethiopus“. — Cfr. N. I., 323 et M. de r. m. p. 390, ubi similia exempla invenimus collecta. — Neque apud Graecos eadem exstat forma, cum modo *„Αἴθιοψ, Αἰθιόπιος, Αἰθιοπικός“* formis usi sint.

infamus pro infamis, v. 23 (1, 18): „infamam turpemque odisse popinam.“ Sic equidem legendum existimo. Nam primum corruptum illud, quod. codd. Non. p. 161, 14 post „infamam“ exhibent: „honestam“, quod frustra ut mea opinio est, et certe audacius quam aptius L. in „egestatem“, M. in „veitam“, Baehrensius in „quaestum“, F. p. 254 in „famam“ corrigere conati sunt, mihi quidem cum Hauptio (Philol. II. p. 489) ab interpretibus postea demum additum et a librariis ex „inhonestam“ in „honesta“ corruptum textuique inclusum videtur esse; tum causa quae sit omnino non intelligo, cur illud „infamam“ ab omnibus Nonii codicibus traditum, multorum similium adject. abundantium [velut „imberbus“ pro „imberbis“ ap. Lucil. 977 (30, 77), „gracilus“ pro „gracilis“ v. 266 (8, 1); „sterilus“ ap. Lucr. 2, 845; „sublimus“ ap. Acc. frag. 576, Cic. poet. Tusc. 2, 7, 19, Sall. hist. frg. 3, 15, 4, Enn. trag. 5 (2), Lucr. 1, 340] exemplis affirmatum, a poeta nostro abjudicemus. — Cfr. N. II., 91 et K. I. p. 352.

δ) Diversi generis haec sunt reliqua:

ardus (sync.) pro aridus, v. 540 (27, 40): „ardum, miserum, atrum atque infelix lignum sabucum vocant“. — Eandem formam

Löwe p. 330 etiam versui 215 (6, 28): „ciner ardu'“ tribuit, ubi eodem vel majore jure M.: „cini' raru'“ pro codicum Non. 189, 33 lectione „cineraris“ conjecerat. Cfr. infra voc. „cinerare.“

annot. 1.: Dziatzko, Mus. Rhen. 33 p. 94 (1878) nescio an jure ascribat Lucilio v. 645 (27, 26) formam genitivi sing. fem.: „alterae“ pro alterius, cujus nondum usquam inventa sunt vestigia, quamquam dativ. fem.: „alterae“ ap. Plaut. rud. 750; Ter. Heaut. 271, Phorm. 928; Caes. bell. Gall. 5, 27, 5; Nep. Eum. 1, 6; Col. 5, 11, 10 nobis servatus est. Hic est versus Lucilii: „at metuis porro ne aspectu et forma capiare altera“, ubi D., sicut jam L. v. 1047 (29, 105) „copioses“ ex „scopiose“ et v. 703 (28, 36) „is exeat“ ex „exeatis“, similia correxerat, persuadet, ut „capiar alterae“ pro „capiare altera“ scribatur his ex causis: „Es missfällt vor Allem der Sinn, dass ein Liebender selbst fürchten soll, von der geliebten Person durch die Schönheit einer anderen Person abgezogen zu werden. Ungeschickt ist ferner die Wahl des Adj. „altera“, das nur mit „forma“, nicht auch mit „aspectu“ sich verbinden lässt“.

annot. 2.: V. 492 (19, 5) „ut pueri infantes faciunt mulierculam honestam“ (L.) Luc. Müll. pro omnium codd. Nonianorum p. 55, 33 lectione „honestam“, antiquissimam illam a Gellio 2, 3, 3 occasione oblata memoratam formam „honustam“ (cfr. Corssen,Ausspr. p. 41) pro „onustam“ sine ulla causa, ut equidem opinor, in contextum recepit. Dummodo enim „honestam“, ut saepissime ap. Ter., Virg., Nep., Varr., Hor. sat. I., 2, 84 idem significare putemus ac „pulchram“ s. „formosam“, ad hunc facile totius versus sensum perveniamus: „ut pueri infantes aestimant (scil. „magni“ vel „pluris“) i. e. solent amare mulierculam formosam, (sed turpem m. recusare), sic . . . . . .“

Tantum de adjectivis.

Cap. III.: **Verba.**

Venio nunc ad verba *απαξ λεγόμενα* Luciliana, quorum primum in promptu habea haec:

a. graeca:

α) *διαλλάσσειν* i. e. translate: implicare, connectere, v. 198 (8, 6): „et cruribu' crura diallaxon" (*διαλλάσσων*, M.; diallaxante, L.; dilaxant, G.) Sic si scribitur in contextu satirarum, optime, ut opinor, verba et litterae hujus fragmenti a Porphyrione traditi ad Hor. sat. I., 2, 125: „haec ubi supposuit dextro corpus mihi laevum", cum codicum Mon. et Bern. et cod. Danielis et alter. vet. lib. ejusdem lectione: „diallaxon" et cum Paris., Guelf., ed. Patav. lectione: „diallaxon" congruunt et hunc facile et sine dubio praebent sensum: „et crura cruribus implicaturus s. connexurus". Nam *διαλλάσσειν* dictum, ut ait M. comm. p. 220, ut ap. Prop. III., 15, 9: „quam vario amplexu mutamu' brachia". — Cfr. Zawadzki, diss. p. 17. — Ceteroquin hoc adjiciam, „dilaxandi" verbum Gerlachianum nusquam exstare ap. scriptores Latinos, contra Graecum illud „*διαλλάσσειν*" saepissime ap. Graecos inveniri.

ἐπιφωνεῖν i. e. acclamare, v. 772 (29, 56): „„tum illud „epifonî", quod etiamnum nobile est"" (L.) Traditum ap. Non. 351, 23, ubi cod. Guelf. exhibet „epifoni", Bern.: „est epifoni", Lugd. I.: „epitofoni", unde veram lectionem illud „epifonî" (Dousa p. *ἐπιφώνει;* M.: „*ἐπιφωνεῖ*" vel „*ἐπεφώνει*") Gerlachii Lachmanniique fuisse facile concludas. Sententia subobscura.

κοπιᾶν i. e. laborare, fastidire, lassari (Steph.), v. 1047 (29, 106): „ubi erat kopioses eicere istum abs te quam primum et perdere amorem". Quam formam (gen. sing. fem. part. praes. act.) egregie e codicum Non. p. 300, 18 Guelf. et Lugd. I.: „eratscopios" et Bern. et Genev. „eratscopiose" lectionibus Lachmannum restituisse jam supra memoravi; transtulit eam (Kleine Schriften, p. 73 sqq.) sic: „lassae mulieris et fastidientis", quod praeclarissime ad sententiam totius fragmenti quadrat. Cfr. Aristoph. Thesmoph. 795: „*κἂν καταδάρθωμεν . . . . παίζουσαι καὶ κοπιῶσαι*" et sic saepius similiter ap. Comic.; Plut.; Nov. test.. Luc. Müll.: „ubi erat *κοπιῶσα* e. q. s.", ad quod nihil nisi Gerlachii verba habeo prompta, qui in prol. p. LXVI.: „Saepius fit, ut conjecturae, quibus, quae ignota sunt (vel potius: nobis

videntur) explicare studemus, ipsae explicatione egeant vel novorum errorum causae sint".

ψωλοκοποῦμαι i. e. mentula fatigor s. penis lassitudine opprimor, v. 269 (8, 4): „cum poclo bibo eodem, amplector, labra labellis ficta ejus compono, hoc est cum ψωλοκοποῦμαι". Illud ψ., quod Junius ex codicum Non. p. 260, 25 lectione „ipsolocopomas" et ex codicum Non. p. 308, 17 lectionibus, scil. Guelf.: „ΩΛΟΚΟΠΟΥΜΗ; Bern. et Gen.: „via ΟΚΟΣΙΟΥΜΗ"; Lugd. I.: „via ΩΛΟΚΟΠΟΥΜΗ" reposuit ex conjectura omnesque receperunt Lucilii editores, propius ad litterarum ductus accedere videtur; itaque cum ap. Graecos non jam exstet h. v., per ludibrium a Lucilio ex vocibus „ψωλή" i. e. penis s. „ψωλός" i. e. verpus et „κοπιοῦν" i. e. lassare, fatigare, fictum esse putemus. —

β) Homericam redolent memoriam:

χαῖρε v. 991 (inc. 31) i. e. salve! ut ap. Hom. Il. 9, 197 et Odyss. 13, 229 saepiusque.

χαίρετε v. 992 (inc. 32), quod M. nescio an jure hoc versu: „. . . lictores, turba omni' cohorsque, χαίρετε et hinc hostis mi Albucius e. q. s." conjecit pro codd. Cic. de fin. I., 3, 8 lectione a Lachmanno sic in contextum Lucilii recepta: „chaere Tite"! hinc hostis e. q. s."

ἔθηκεν frg. 1055, quod M. videtur omisisse: „ἄλγε̕ ἔθηκεν" (cfr. Hom. Iliad. I., 2) ap. Serv. ad Aen. X. 623: „sicut Lucilius Homerum secutus ait: ἀ. ἐ."

ἐξήρπαξεν, v. 308 (6, 40): „ut vi discrepat hoc, τὸν δ' ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων" (sumptum ex Iliad. 20, 443); in eodem versu M. inter „ut" et „discrepat" non voc. „vi", sed „φύγε" interjiciendum esse censuit. Quid verum atque genuinum fuerit, ne conjectura quidem facile assequaris.

Ex Odyss. XI. 491 totum hunc versum traxit Lucilius: „ἢ πᾶσι νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν" (14, 7).

Ceterum nihil, si quid video, nos impedit, quominus cum Luc. Müll. hos quoque versus Euripideas (ex Cresph. frg. 459 ed. Nauck.) Gellio teste 6, 3, 28 Lucilium in satiras suas credamus recepisse:

„εἰ γάρ σ' ἔμελλεν, ὡς σὺ φής, κτείνειν πόσις
χρῆν καὶ σὲ μέλλειν, ἕως χόλος παρήλυθεν".

Jamque ad verba mere

b. latina

transituro unum optime, quod, siquidem Paulo diac. p. 9, 11 credere nobis licet, quasi medium inter Graeca et mere Latina sit, mihi videtur esse praemittendum:

α) amptruo i. salire Saliorum ritu, v. 282 (9, 62): „praesul ut amptruet hince, ut volgu' redamptruet inde". Dicit enim Paulus l. l.: „a graeco *ἀναδραμεῖν* venit". Cfr. Fest. p. 273, 1; Odofr. Müll. ad Fest. p. 401(a); gloss. Labbaei: „antruare i. e. *σαλεῦσαι*"; Löwe p. 333, qui, cum quinque glossas hujus verbi (antruare, andruare, antroare, amptruare) satis diversas significatione collegerit, tamen in versu illo Luciliano ejus (scil. verbi) sensum nihil habere dicit obscuritatis. — Vide infra voc. „redamptruo."

β) Verba *derivata* apud Lucilium solum nobis occurrunt haec:

heiulitare i. e. verb. intens. verbi quod est hejulare s. ejulare i. e. vehementer lamentari s. clamare, v. 199 (6, 16): „haec, inquam, rudet e vostris atque heiulitabit e. q. s." Ita omnes Nonii p. 21, 18 codd.; solus Varronis d. l. l. p. VII., 103 cod. Florentinus: „heilitabit"; ex quo „ejaculabit" conjecisse Franckenium p. 260 l. l. vix censeo commemoratione dignum esse. — Lucilius h. v. haud dubie ipse finxit.

secubitare i. e. frequent. verbi quod est secubare h. e. semper cubare sine concubina s. concubino, v. 606 (26, 93): „si secubitet, sic quoque a me quae roget non impetret". Etiam h. v. Lucilium ipsum finxisse credibile est. — Ceterum „secubare" usitatissimum voc. Catulli, Tibulli, Ovidii, Livii est; subst. „secubitus" ab eodem verbo fictum Catull. 64, 380 et Ovid. am. 3, 10, 16 et 43 usurpaverunt; „secubatio" ap. Soliu 26, 4.

lentere (ab adj. „lentus") i. e. lente procedere, v. 275 (8, 20): „lentet opus". Quam formam minime pro conjunctivo praes. verbi „lentare" usitatissimi necesario habendam esse —id quod nonnulli, illud „lentere" nunquam fuisse rati, videntur arbitrari (cfr. M. comm. p. 221) — sequitur et ex Macrob. excerpt. Bobiens. gr. lat., qui l. V., 650: „lentesco, inquit, a verbo „lentet". Lucilius: „lentet opus"; et ex ipso verbo „lentesco" ex quo verbum quoddam „lentere", unde „lentesco" derivatum sit, omnino exstitisse facillime concludas. — Ceterum nescio quid causae sit, cur N. II., 609 h. v. „lentet" verbum defectivum esse censeat, cum omnia alia vocabula *ἅπ. λεγ.* Luciliana inter „defectiva" omiserit enumerare.

annot. I.: Pro codicum Non. p. 189, 33 lectione „cineraris" [cfr. supra s. voc. „ardus"] v. 215 (6, 28): „Zonatim

circum impluvium cini' raru' fluebat" (sic M.) Lachmanni editio formam „cinerans" verbi cujusdam inauditi praebet, quam, cum quinto versus dactylici pedi repugnet, mendum typographicum pro „cineraris" vel „cini' raru'" habeam, quamquam incorrecta in Harderi indice p. 11 est.

annot. 2.: V. 188 (5, 39), quem sic M. optime, ut opinor, restituit: „— ⏑⏑ dic quaenam cogat vis ire minutim per commissuras rimarum nocti' nigrore", (ad quod cfr. comm. p. 213: „de amatore nocturno videtur agi") Lachm. pro hisce verbis: „vis ire" (sic codd. Non. p. 515, 3 Guelf. et Bentin.; „tus ire" Paris. 7666; „tusire" Lugd. 2) codicis Lugd. 1 lectionem „visire" in Lucilii contextum recepit, cujus novi et inauditi verbi significationem: „pfisten" (sic Georgesii Lex.) me non intellexisse libenter confiteor. Hausi quidem ex lexicis theodiscis voc. „pfisten" idem esse ac „backen"; sed quid hoc sibi vult nostro Lucilii loco? Ergo equidem pro mea parte obscurum illud voc. „visire" a Lucilio abjudico.

γ) Haec verba *composita* a Lucilio aut ficta sunt aut certe ficta esse possunt:

d e c a l a u t i c a r e i. e. velamen capiti detrahere, v. 553 (26, 72): „depoclassere aliqua sperans me ac deargentassere, decalauticare, eburno speculo despeculassere." Vocab. quod est „calautica" i. e. κρήδεμνον, velamen ap. Afran. comm. 37; Cic. or. in P. Clod. et Cur. 5, 3 p. 107 ed. Beier (ad quod cfr. schol. Bob. p. 336, 118 ed. Bait.); Ulp. dig. 34, 2, 25 § 10; Arnob. 2, 23; Auson. perioch. Odyss. 5; Serv. Virg. Aen. 9, 16 invenitur. Cfr. M. comm. p. 251.

d e p o c l a r e pro d e p o c u l a r e i. e.: „in poculis absumere (sic P. African. ap. Gell. 7, 11 extr.); eodem versu 553 (26, 72). Formam „depoclassere" (vet. inf. fut.), quam L. in contextum recepit, O. Ribb. comm. coroll. p. XXXVIII. plane probavit, optime mea quoque sententia L. F. Schmidt[1]) ex codicum Non. p. 97, 6 Guelf., Lugd. 1, Lugd. 2 in lemmate lectione „depoculassere" (sol. cod. Lugd. 67: depeculassere) et ex cod. Guelf.: „depoculassere" et Lugd. 1 „depeculassere" in interpretatione Noniani illius loci lectionibus videtur restituisse, ita, ut hoc voc. a Lucilio ipso iocose fictum et compositum esse videatur. Contra qua audacia Luc. Müll. usus „depeilassere" pro „depoclassere" conjici-

[1]) Lud. Ferd. Schmidt, C. Lucil. satirarum quae de libr. IX. supersunt dispos. et illustr. Berol. 1840.

endum sibi putaverit, ex eo concludas, quod correptam verbi illius „depilare“ litteram „i“ producere non dubitavit. Cfr. comm. p. 250. — Vide infra voc. „depilare“ (a subst. pilus). Ceterum G. v. 26, 8 et K. p. I., 512 pro „depoclassere“ etiam formam illam jam supra memoratam: „depeculassere“ conati sunt commendare.

imbubinare i. e. menstruo mulierum sanguine inquinare (sic Paul. diac. 32), v. 1119 (inc. 54): „haec te imbubinat, at contra te imbulbitat ille“. Cui verbo subest subst. „bubo“ s. *βουβών* i. e. inguen s. inguina. — Cfr. Festi, Placidi, Isidori aliorumque glossas huc pertinentes ap. Löwe, p. 313. — Vide M. comm. p. 276.

imbulbitare i. e. puerili stercore inquinare (Fest. Paul. 32, 1), eodem versu 1119 (inc. 54) dictum, ut addit Paul. l. l., ex fimo, quod Graeci appellant „*βόλβιτον*“, quo voc. solus interlat. script. Plin. 28, 17, 68, 232 usus est; ap. Graecos „*βόλβιτον*“ formam aetate infimam pro prius usitata „*βόλιτος*“, quam e. gr. ap. schol. Ar. Ran. 295; Ach. 990; Equ. 656 invenimus, fuisse huc addendum est.

Annot.: V. 983 (30, 131): „quis totum scis corpus jam perolesse bisulcis“ hoc „perolesse“ nonnulli, velut Georges (in Lexico suo, edit. VI.) et K. I. p. 570, infinitivum perf. verbi alias nusquam traditi „perolescere“ [comp. ex v. „alescere (ab „alere“)] esse censent, cum ambiguus totius versus sensus illum infinitivum eodem vel majore jure ad verb. „perolere“, quo Lucr. 6, 1153 (1155) usus est, referri posse sinat, ita, ut Lucilium pro usitato prf. „perolui“ finxisse putemus „perolevi“. — Ceterum N. II. 519 tota re in medio relicta Lucilium voc. defectivum „perolesse“ adnotat usurpasse.

δ) Quibus tractatis nihil obstat, quominus ad ea transeamus verba Luciliana, quae ap. Lucilium solum activa sunt pro deponentibus aut deponentia pro activis. Cfr. Brix, mil. glor. Plaut. v. 172. Sunt:

commanducari pro commanducare, v. 125 (4, 42): „ad sequitur neque inopinantem, in caput insilit, ipsum commanducatur e. q. s.“ Ad sententiam cfr. M. comm. p. 210 et de re metr. p. 37. — et v. 419 (15, 20): „Vilicum Aristocratem, mediastrinum atque bubulcum commanducatus corrupit, ad incita adegit“. Cfr. M. comm. p. 238. — Invenitur forma activa ap. Val. Max. 3, 3, 4; Plin. 22, 11; Scrib. 9 et 165; Vulg. apoc. 16, 10 saepiusque. Cfr. R. p. 183 et 303. — Ceterum vide N. II., 296 et K. I. p. 605. — Ita infra voc. „manducari“.

degrumare pro degrumari i. e. gruma dirigere s. aequare, complanare, v. 87 (3, 5): viamque degrumabis uti castris mensor facit olim". — Ad sensum cfr. M. comm. p. 202. — Contra Enn. ann. 430 (ed. Vahlen.) exhibet: „degrumari", si Non. 63, 4 sequimur, cujus scripturam etiam N. II. 282 et K. I., 599 comprobaverunt; Vahlenius sine gravi causa etiam hoc loco Enniano activum „degrumare" conatus est restituere. — De gruma s. groma vide Non. l. l. et S. ind. p. 19.

despeculare pro despeculari i. e. spoliare, v. 553 (26, 72): „depoclassere aliqua sperans e. q. s." (cfr. supra sub v. depoclare). — Formam „despeculari" s. depeculari saepius Cic., velut Verr. 4, 36, 79 et praeterea Cornif. rhet. usurpaverunt. Cfr. N. II., 311.

> **annot.**: V. 524 (26, 22): „quapropter delero et cupidi officium fungor uberum" (sic L.; cfr. annot. editionis ejus p. 59; codd.: „ruberum"; bene etiam M.: „ruderum" et Mercerius „liberum"; male mea quidem sententia Dousa: „tuberum", Bouterwek: „muneris", Quicherat: „suberum") Luc. Müll. pro „fungor" audacissime et haud dubie praeter necessitatem formam „fungo" conjecit, cujus memoria nusquam exstat nisi ap. Orell. inscr. 7209.

ε) Contra a Lucilio solo semel ullius verbi mutatam esse conjugationem nego.

> **annot.**: V. 271 (8, 7), ubi voc. „abstergere" tertiam conjugationem pro altera sequi Luc. Müll. contendit, sic legi malim: „a laeva lacrimas mutoni absterget amica". Nam cum Porphyrionis ad Hor. serm. I., 2, 68 cod. Parisin. 7975 „absterget"; Acronis ibid. Monac.: „exterget" et Bamb.: „lacri— rigat" exhibeant et solus Porph. cod. Mon. contra metrum „abstergeret", nescio equidem, quid causae sit, cur Luc. Müllero assentiamur, qui, cum codicum auctoritas, in quantum fieri potest, interpreti tuenda sit, audacius infinitivum „abstergere" in contextum recepit. Accedit, quod v. 166 (5, 37) idem Lucilius non verbo „abstergo", sed „abstergeo" usus est.

ζ) Praeterea variae nonnullae exstant formae, quas nusquam nisi ap. Lucilium solum invenias. Sunt autem haec:

ζ¹) **rausurus** i. e. part. fut. a verbo quod est „raucire" i. e. raucum esse, v. 501 (19, 11): „rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste." Forma anomala est pro „rauciturus". Similiter Cic. de or. 1, 61, 259: „irrauserit". — Cfr. N. II., 486 et 586 et K. 495 et 578.

annot.: Versum 687 (28, 15): „eidola atque atomûs vincere Epicuri volam“ Nonius ideo nobis servavit, quod illud „volam“ non futurum I., sed conj. praes. verbi „velle“ esse putavit pro „velim“. Cfr. R., p. 283 et N. II., 607. Sed eum in scirpo nodum quaesivisse mihi quidem apertum est.

ζ²) eluvi (M. elovi) pro „elui“ a verbo quod est „eluere“ i. e. purgare, v. 536 (26, 61): „si hic vestimenta eluvit luto, adeo risum magnum imprudens ac cachinnum subicit.“ Codd. Non. 103, 29 exhibent: „elevit: maculavit, Lucil. si hic e. q. s.“ Quibus verbis Nonium vehementer delirare primus Lachm. cognovit, qui, cum antea Lucilii interpretes voc. „elinere“ alias nusquam traditum Lucilio ascripsissent idque pro „maculare“ positum esse credidissent (cfr. Georges Lex. VI. ed. et G. prol. CXLII. et K. I., 564), praeclare „elevit“ in „eluvit“ correxit. Cfr. M. comm. p. 250 et de re metr. p. 246.“

scabi perf. vocabuli quod est „scabere“, v. 296 (9, 77): „scaberat ut porcus contritis arbori' costis.“ Qui locus Lucilianus unicus omnino est, ubi praeteriti temporis forma verbi illius quod est scabere invenitur. — Cfr. N. II., 500 et K. I., 581.

annot.: Sine ulla causa M. v. 58 (2, 7): „nunc nomen vitamque (M.: Nomentani quae) ex testibus ipse rogando exculpo“ illud „exculpo“, quod omnes codd. Non. p. 102, 18 exhibent, cum Scaligero in „exculpi“, quae nusquam exstat forma, pro „exsculpsi“ mutavit. Qua de audacia plura dicere supersedere possum. Cfr. Q. l. l. p. 362 et N. II., 491.

ζ³) pertisus pro pertaesus, 842 (inc. 169): „quo facetior videare et scire plus quam ceteri, pertisum hominem, non pertaesum dices erumnam genus.“ — Cfr. Fest. 273 (a) 9: „redarguisse, per e litteram, Scipio Africanus Pauli filius dicitur enuntiasse, ut idem etiam pertisum, cujus meminit Lucilius cum ait: e. q. s.“ — Ad quod cfr. Cic. de or. 1, 6, 255 et or. 48, 159. — Cfr. in universum O. Ribbeck, Jahn's Jahrb. 1857, p. 322 et Corssen, Ausspr. I., 192.

suffercitus pro suffertus, v. 448 (15, 37): „subicit huic humilem et suffercitu' posteriorem.“ Sic exhibent omnes Gellii p. 4, 17, 3, qui hunc tradidit locum, codices atque ita Hertzius quoque omnesque Lucilii editores; quamquam tam facili mutandi occasione data jam pridem nulla cogente causa a nonnullis viris doctis, velut a Dousa p., Gronovio, Kühnero I. p. 554 illud „suffercitus“ mutatum est. — N. II² 564 in medio rem reliquit. —

annot. 1.: Versus 197 (5, 55) in cod. Paris. 7929 Servii ad Aen. X., 398 sic traditus: „—⏑⏑ nam omnibus unu' dolor recaptus (s. receptus) labosque“ idcirco claudicat, quod syllabae „—lor re—“ non spondeum, quem versus postulat, sed trochaeum continent. Quam difficultatem cum L. Müllero tolli malim scribendo: „est captus“ pro „recaptus (s. receptus)“, quam cum Lachmanno restituenda intolerabili illa forma „rececptus“, de qua cfr. K. I., 628.

annot. 2: V. 597 (26, 49), quem Non. 324, 9 ita tradidit vacillantem: „conjugem infidamque flaticam familiam, impuram domum“, M. male ita scripsit: „conjugem infidamque flacitam familiam, imp. dom.“ Vide M. comm. p. 249: „„flacitam subtracta „c“; cfr. M. de r. m. 360: „in flaccendi verbo dempta c quantitatem mutavisse Lucilium.““ Sed id est auctoritatem suam ponere non probare. Huc accedit, quod verbum flaccendi omnino forma supina quae dicitur carere videtur. Quare cum L. et Q. melius Dübneri egregiam secutus conjecturam „pathicam“ pro „flaticam“ sic potius Lucilium scripsisse putem: „conjugem infidam atque pathicam familiam c. q. s.“

η) Restant denique nonnullae formae *syncopatae*, ut ita dicam, de quibus in universum conferas Corssen, Ausspr. II. p. 30 sqq. et K., I., 507 sqq. Qui e. gr.: „Sie sind ohne Zweifel, inquit, aus der Volkssprache hervorgegangen, welche längere und mit einiger Schwierigkeit auszusprechende Formen zu kürzen und zuzammenzuziehen liebt. Ganz natürlich ist die Anwendung derselben in des Lucilius Satiren.“ Et Lucilianas quidem has dignas habeo imprimis quae memorentur:

η^1) invasse pro invasisse, v. 63 (2, 9): „injuriatum hunc in fauces invasse animamque elisisse illi .... Similiter dixerunt: „evasti“ Hor. serm. 2, 7, 68 et Sil. 15, 796 et. „evasset“ Sil. 15, 375. Cfr. N. II., 536.

misse pro misisse, v. 683 (28, 46): „Socraticum quidam tyranno misse Aristippum autumant,“ ubi „misse“, quod metrum poscit, primus Lachm., quem etiam Luc. Müll. secutus est, ex cod. Non. 237, 3 lectionibus „mississe“ (Guelf.) et „misisse“ (Gen. et Lugd. 1) restituit. — Sic etiam Plaut. mil. 1287 (4, 7, 4): „admisse“ et Catull. 110, 5: „promisse“. — Cfr. N. II., 536 et K., I., 510.

annot.: „petisse“ pro „petiisse“, v. 216 (6, 29), saepius etiam ap. Ciceronem, velut in or. pro Quinctio 11, 37; pro Rosc. com. 9, 26; divin. in Caecil. 4, 12. 5, 17 invenitur.

η^2) monerint pro monuerint, v. 541 (26, 35): „di monerint ·liora, amentiam averruncassint tuam.“ Traditum ap. Non. 23, ubi codd. exhibent: „minuerint“, quod Junius ex Non. 507 —26) in „monerint“ correxit. Sed cfr. L. edit. annot. p. 61 M. in comm. p. 247: „unus hic est versus, inquit, quem et in ıtirici hujus et in tragici aequalis carminibus olim exstitisse ·rtis traditum est antiquitus testimoniis, quae congessit O. Ribb. ag. Lat. rel. p. 90 e. q. s.“ — Pacuv. etiam v. 30 trag. ap. . Ribb.: „moneris“. — Vide N. I., 481 et K. I., 567.

retinerit pro retinuerit, v. 720 (29, 85): „in gymnasio ut ·hema antiquom spectatores retinerit.“ Sic M. ex codd. Non. 48, 7 lectione: „retineres“ pro Lachmanni „retineas“ evidentius, quidem vestigia scripturae codicum retinenda sunt, conjecit. — fr. M. comm. p. 264: „retinerit“, ut Pacuv. „monerint, moneris“.

mansti pro mansisti, v. 153 (5, 9): „quando in eo numero ıansti, quo e. q. s.“ Codd. Gellii XVIII., 8: „mansi“; sed mansti“ olim correcta, si Lachmanni sequimur annotationem, t sic Lucilii omnes editores. — Cfr. N., II., 536 et K., I., 508.

η^3) depostus pro depositus i. e. in ultimo positus, despeatus, ut recreari non possit (sic Gronov. ad Cic. in Verr. 1, 2, 5), 101 (3, 65): „Symmachu' praeterea jam tum depostu' bubulcus ·rans animam pulmonibus aeger agebat.“ — Cfr. „postus“ ap. 1, 1059; compostus ap. Lucil. 993 (inc. 33) et ap. Varr. ap. Sen. ep. 56, 6 et Verg. Aen. 1, 249; dis—, ex—, im—, p—, prae—, re—, suppostus ap. K., I., 583 et N., II., 536.

Hactenus de verbis.

Cap. IV.: **Adverbia.**

Quorum pauca ἅπ. λεγ. in Lucilii reliquiis inveni haec:

a. graeca:

α) σεμνῶς, adv. apud Graecos forte non traditum adjectivi ·μνός, v. 35a (1, 43): „porro clinopodas lychnosque, ut diximu', ·μνῶς, anti „pedes lecti“ atque lucernas“ . . Cfr. supra v. clinopus“.

β) „μάλα“ et „ῥεῖα“ versu illo 309: „ῥεῖα μάλ' ὥστε θεός
Cfr. supra voc. „ἐξήρπαξεν.“ — M. omisit.

---

b. latina:

demagis v. 451 (16, 7); vide „austellus“ p. 31 huj. dis
De hoc voc. viri docti mirum in modum dissentiunt, cum
omnino fuisse tale voc. neget, alii autem, quin fuerit, non dub
tantes tamen de significatione diversissimas proferant opiniones. -
Et ille quidem p. 51 edit. annot.: „Non potuit, inquit, Lucili
hanc praepositionem quae est „de“ conjungere cum adverbio, qu
non significaret locum. jam quia syllabam excidisse apparet -
[— id quod jam Gerl., quem Luc. Müllerus secutus est, cognov
ita tamen, ut optime voc. „sed“ inter voc. „solos“ et „demagis
interponeret. —], puto scribendum esse „quo de magis“. Q
quidem maxime redarguitur eo, quod adverbia „desubito“
„derepente“ ap. Plaut., Comic., Lucil., Lucr., Cic., usitatissim
composita sunt ex „de“ et adverbiis, quae haudquaquam locu
significant. — De notione sic statuit Fest. Paul. 79, 1: „demagis
pro „minus“ antiqui dicebant;“ et contra Non. 98, 15: „demagi
valde magis“ Lucil. lib. XVI.“ Quocum faciunt duae glossae,
ait Löwe p. 332: „demagis: σφοδρῶς“ Philoxeni et „demagis
vehementer“, quibus neglectis M. in comm. p. 240 Nonium erras
ratus mirum in modum Festo assentitur. Contra equidem trib
scil. Nonii et glossarum adjutus testimoniis Festi lectionem „minus
ex „nimis“ mutilatam esse cum compluribus viris doctis existim
— Ceterum cfr. Wölfflin, Philol. 34 p. 149 sqq. et R. p. 234.

semigraece v. 330b (9, 34): „s nostrum et semigrae
quod dicimu' sigma nil erroris habet.“ Sic omnes codd. Vel
Longi p. 2214 exhibent neque ullam video causam, cur cum
Müllero: „s nostrorum, etiam Graece e. q. s.“ conjiciamus. -
Ceterum adj. „semigraecus“ ap. Varr. Suet. Flor. invenitur.

zonatim (a zona, ζωνή) i. e. circum, v. 215 (6, 28): „Zon
tim circum impluvium e. q. s.“ — Cfr. N., II., 668. — De a
verbiis in „—im“ desinentibus cfr. in universum N., II., 662 sq
et Leo Meyer, Zeitschr. für vgl. Sprachforsch. 6 p. 301 sq.

zopyriatim i. e. in modum Zopyri, v. 289 (9, 74): „arrip
et rostrum labeasque huic zopyriatim percutio e. q. s.“ Qu
voc. Vargesius, cui M. suo jure assensus est, sagaciter ex h
mutilatis codicum Non. p. 455, 10 lectionibus (Lugd. 1 et 2
„hoc zeferiat“ et Guelf.: „hoc zeferiatu“ restituit. Cfr. M. comm
p. 229: „aperte tangitur, de quo libr. XXII. Lucilius: „Zopyri

ibeas caedit utrimque secus"; fuit is haud dubie servus Lucilii que plagosus. — „zopyriatim" pro „Zopyrionatim", ut „Scipiadas" ro „Scipionides". — Cfr. N., II., 668.

annot. 1: *„diductius"*, susp. 6 ap. Luc. Müll. h. v.: „nasum diductius quam pandius paullo vellem" in Pseudoprobi de nomin. excerptis fuisse legimus Lucretii, quamquam omnino (cfr. M. comm. p. 287) nec „nasus" nec „nasum" in ejus libris invenitur. Quamobrem hunc versum Lucilio nostro ascribere vehementer dubitaverim.

annot. 2: Löwe p. 334: „Lucilius cum adverbia in —atim satis nove formaverit, velut „zopyriatim" et „zonatim", non inepte videtur conici posse ad saturas ejus spectare hanc Scaligeri (cfr. gloss. Isid. p. 697, 9) glossam: „*tongiliatim* loqui: pravis verbis, a Tongilio parasito, qui hoc invenerat risus aucupium, ut salutatus convicio responderet et male dicentem blandissime salutaret" e. q. s.

Cap. V.: **Particularum**

communi usu recedentium una Luciliana digna quae memoretur est:

anti i. e. *ἀντί* = pro, v. 35a (1,43); vide supra sub voc. *σεμνῶς*" p. 67 huj. diss. Cfr. M. comm. p. 198.

Pars II.

Rite huc usque et brevius ita, ut pro opusculi finibus, iis Lucilii verbis eorumque rationibus pertractatis, quae nusquam inter omnes scriptores latinos nisi ap. Lucilium solum invenias, um cujusque poetae proprietates in dicendi genere sic quoque optime intellegi, si eum comparaveris cum antecedentibus, aequalibus, posterioribus scriptoribus, cum persuasum mihi sit, vocabula Luciliana semel bisve praeter Lucilium obvia in iis, quae ser-

vata sunt, Romanorum scriptis altera hac parte perlustrabo. Quam cum nec fusius velim pandere neque vero plane frustrare lectorem iis, quae inde ab initio in eam rem collegeram, optimum mihi videtur, modo enumerare omnia — nisi quae diligentiam fugerunt — singulisque vocabulis, exceptis illis, quae sub IV. et X. componam,[1]) solos veterum scriptorum Romanorum et interpretum recentiorum addere locos.

I. Ac primum voces vocumque formas Lucilianas, quae praeter Lucilium semel apud singulos priores poetas neque usquam postea exstant traditae, invenimus has:

Bruttas, atis 1181g (3, 23); Enn. v. 488 ed. Vahlen.
petimen 1097 (inc. 101); Naev. com. 122 ed. O. Ribb.
praecisum 511 (20, 2); Naev. com. v. 65.
depuvere 1120 (inc. 94); Naev. com. v. 134. — Cfr. K. I., 551.
redamptruare 282 (9, 62); Paeuv. trag. v. 106 ed. O. Ribb.

blennus 510 (30, 106); Plaut. Bach. 1088. — Löwe p. 265.
mantelum (pro mantele) 1178 (5, 23); Plaut. capt. 521 (3, 3, 6).
terginum 713 (29, 38); Plaut. Pseud. 152. [Cfr. N. I., 563.]
trico 344 (11, 17) et 348 (11, 25); Plaut. Bach. 280 (2, 3, 46).
petilus, a, um 520 (22, 8); Plaut. truc. 2, 17, 17.
strenuior 466 (16, 19); Plaut. Epid. 442 (3, 4, 10). — Cfr. N. II., 113; K. I., 370; R. p. 279.
abbitere 9, 27 (330d); Plaut. rud. 777 et Epid. 2, 2, 121 ed. Jac. — Cfr. O. Ribb. ap. Jahn, Jahrb. für Phil. 75, 1857 p. 324; M. comm. p. 225; F. l. l. p. 237.
lamberare 523 (13, 11); Plaut. Pseud. 743 (2, 4, 53). — Cfr. Löwe p. 330 contra Prisc. p. 884, N. II., 500, K. I., 562.
subblandiri 799 (29, 96); Plaut. asin. 1, 3, 33 et saepius id.
clandestino 533 (26, 68); Plaut. mil. 4, 1, 10 (956).
cumprimis 4 (1, 8); Plaut. truc. 3, 1, 15. Cfr. Phil. Anz. 32.
ar = ad 330a (9, 30); Plaut. truc. 2, 2, 18 saepiusque. — Cfr. K. I., 620, J. p. 92, Corssen, Ausspr. I., 89.

gracilus pro gracilis 266 (8, 1); Ter. Eun. 314 (2, 3, 23), ubi Umpfenb. „gracilae“ sine causa in „graciles“ mutavit. — Cfr. R. p. 274 et K. I., 350.

[1]) De his conferas, qua ipse praeter Forc. et Gess. Thesauros et annotationes commentariosque editorum et mea ipsius excerpta continuo usus sum, VII. editione Georgesii lexici: „K. E. Georges, Ausführl. Lat.-Deutsches Handwörterbuch. Siebente fast gänzlich umgearbeitete etc. Ausg., Leipzig 1880.

sucerdae 890 (30, 98); Titin. comm. 178. — Cfr. „muscerdae“ in Festi (p. 146) glossa, quam Löwe p. 403 laudat.

II. Apud aequales Lucilii singulos neque vero usquam antea aut postea hae voces inveniuntur:

depetigo 879 (30, 88) in tmesi; Cato v. v. 157.

fami gen. sing. voc. „fames“ 371a (12, 6); Cato or. frag. 36, 1. — Cfr. N. I., 180 et M. d. r. m. 382.

pascalis (pro pascualis) 1110 (3, 15); Cato or. 52 frag. 2.

squalitas 562 (26, 36); Acc. trag. 617.

subvellere 238 (7, 12); Scip. Afric. ap. Gell. 6 (7), 12, 5.

III. Singuli scriptores Lucilio proximi aetate (excepto Cicerone) neque quisquam antea aut postea his usi sunt voc. Lucilianis:

lupari 167 (5, 38); Q. Atta com. 3 p. 137 ed. O. Ribb.

anguina (ἀγκοίνη) 1151 (3, 42); Cinna ap. Isid. or. 19, 4, 7.

eugium 852 (28, 22); Laber. v. 25 et 140 ap. O. Ribb.

latrinum pro latrina 216 (6, 29); Laber. v. 36.

angarius 200 (6, 17); Nigid. Fig. ap. Gell. 19, 4, 7. — Lucilio h. v. ascribam (codd. et M.: „ancarius“, L.: „Ancharius“) v.: „concursans velut angarius clareque quirritans“ tribus de causis: primum, quod usitata vocis illius „ancarius“ interpretatio, quam lexica praebent: „anc. = asinus“ neque ullo veterum testimonio adjuvatur neque etymologicis argumentis demonstrari potest; deinde quod „angarius“ i. e. eques citus (ἄγχαρος) melius ad sensum verbi „concursandi“ quadrat (= ire et redire); denique quod voc. „angarius“ VII. saeculo jam dudum cognitum fuisse Romanis illo Nigidii loco optime apparet.

gubernum pro gubernaculum (πηδὸν et πηδάλιον) 516 (20, 12) et Lucr. 2, 553 et 4, 437 (439). — Cfr. S. ind. p. 41; Ritschl. opusc. 2, 473; 499; 500; 520; O. Ribb. ap. Jahn, Jahrb. 77, 1858 p. 191—199. — Ceterum vide M. d. r. m. 38.

obturgescere 151 (4, 43); Lucr. 6, 658.

perolere cfr. supra s. „perolesse“ p. 63 huj. diss., annot.

annot.: proporro voc. Lucretianum (cfr. Lachm. ad Lucr. p. 82 et 288) Lachm. etiam ap. Lucil. 885 (30, 108) conjecit ex codicum lectione „aetatem proferro“; certo simplicius G. et M.: „aetatem proferre“.

bulga 54 (2, 24); 204—6 (6, 23—24); 546 (26, 13); Varr. sat. Men. 343 et 492 ed. Büch'. — Cfr. M., d. r. m. p. 38 sq.
comedo 73 (5, 41); Varr. sat. Men. 317. — Cfr. Löwe p. 326.
parcetatatos (παρεκ-τείνω) 280 (9, 71) et 845 (28, 28); Varr. ap. Non. 67, 16: „parectatoi adsunt mulierque venusta".
Tritannus s. Tritanios 987 (inc. 27); cfr. Gessnerus in Thes.: „Tritanus, ut auctor est Varro in relatione prodigiosa virium, gladiator fuit e. q. s."
macellus 210 (6, 11); Varr. d. l. l. 8, 79.
nefans 133 (3, 59) et 766 (29, 65); Varr. sat. Men. 509.
vannere 230 (7, 17) et 279 (9, 70); Varronem quoque h. v. usum esse K. I., 591 adnotat; cfr. „evannere".

IV. Dispersim omni priscae latinitatis, ut ita dicam, tempore, sed nusquam postea vocabula Luciliana haec adhibita sunt:
algus (pro algor) 1064 (inc. 81); — canes (pro canis) 19 (1, 32) et 1083 (6, 12). Cfr. N. I., 183 et M. d. r. m. p. 379; collus (pro collum) 243 (7, 27) et 621 (27, 34). Cfr. N. I., 533; R. p. 267; K. § 107, I., β; — effigia (pro effigies) inc. 58. Cfr. N. I., 375 et R. p. 259; — forus (pro forum) 103 (3, 63). Cfr. N. I., 456, 535, 541; K., I., 107, β; R. p. 267; O. Schulze, de archaismis Sallustianis, diss. Hal. 1871 p. 32; — fulmenta (pro fulmentum) 121 (4, 29) et 681 (28, 33). Cfr. N. I., 552; K. I., 108, γ; R. p. 86; — guttur, acc. gutturem (masc. pro neutr.) 1140 (inc. 84). Cfr. N., I., 658 et R., p. 267; — labea (pro labium) 289 (9, 74) et 521 (22, 9). Cfr. N. I., 548 et R. p. 269; — sumptus, gen. sumpti (pro sumptûs). Cfr. N„ I., 353 et R. p. 262; — collare 1052 (29, 10); — pasceolus (φάσκωλος s. φάσκαλος) 377 (13, 14). Cfr. Suid. et Phot. s. h. v.; S. ind. p. 61; R. p. 99; — tonsilla 333 (10, 3), sic G. et M.; L. sine causa: „consella".
alius, neutr. alid 1134 (9, 58). Cfr. N. II., 213; — bronchus (broncus, brocchus, brochus) 82 (3, 8); — compernis 473 (17, 5). Cfr. Löwe, p. 328, Görke, diss. p. 26; M. d. r. m. p. 392. — copis 222 (6, 6); L. minus apte: „pacis". Cfr. N., II., 86; R., p. 120; K. I., 620; — miserulus 717 (29, 73), — pauxillus 1022 (3, 44). Vide Ritschl, opusc. 2, 250 et Fleckeis. epist. crit. p. XII. —
bitere s. betere (baetere). Sic M. audacius 981 (30, 66): „bito" (codd. „viant", L. „aut.") et v. 566 (26, 78): „bitat" pro „vitet". Cfr. K. I., 544 et Löwe p. 359; — calvi 467 (17,

10). Cfr. N., II., 277; K., I., 545; R., 238; Löwe prodr. p. 366; Schulze, diss. p. 72; — cluere (κλύειν) 869 (30, 104). Cfr. N. II., 426 et 278; K. I., 500 et 549; Brix ad trin. p. 309; Löwe prodr. p. 364. — delicare 908 (30, 42); M. minus apte: „delicere". Cfr. R. p. 238; exanclare 926 (30, 9). Cfr. Quint. 1, 6, 40 et Löwe p. 256; — figere, part. fictus (pro fixus) 269 (8, 4). Cfr. N., II., 562; K. I., 555; M., comm. p. 220; — incilare 876 (30, 30). Cfr. R. p. 205 et Löwe prodr. p. 336; — lurchari 47 (2, 14). Cfr. Löwe p. 205; — manducari (pro: —are) 399 (14, 13). Cfr. N., II., 296; K., I., 605; R., p. 304; — olere pro olêre 387 (14, 15): „caseus allium olit"; nam sic simplicius, quam Lachm. (qui „olet" proposuit), M. codicum lectionem „mollit" s. „molliet" correxisse cuique apparet. Cfr. N. II., 423; K., I., 571; M. d. r. m. p. 400; — porcere 213 (6, 27). Cfr. M. d. r. m. p. 393; K. I., 621; J. p. 260; Löwe p. 190; — viere (i. e. vincire s. in fasces colligare) 118 (3, 48): „student hi ligna viere". Quod voc. F. l. l. p. 256 h. v. optime mea quidem sententia pro cod. lect.: „videte" restituendum conjecit; L.: „videre"; M.: scindunt . . bipenne" (O. Ribb.: „bidente".) Cfr. Löwe p. 402; — — Huc denique formae nonnullae non contractae verborum „esse" et „posse" pertinent, velut: siem 545 (26, 19), sies 1067 (inc. 23), siet 409a, 659, saepius (M.: 1, 11; 9, 27; 14, 21; 22, 3; 27, 12) et potissit 8 (1, 14); potisset (potesset) 4 (1, 8); potissint 31 (1, 37); potesse 1020a 2 (M. 5, 48; 30, 108; inc. 2); pote 733 saepiusque, de quibus N., II., 593 et K., I. § 195 et p. 359 accuratissime jam exposuerunt. — clanculum 629 (27, 20); — facul 208 (6, 3). Cfr. M. d. r. m. p. 393; N., II., 658; R. p. 237; — horno 67 (7, 2) et 678 (28, 23). Cfr. R. p. 345 et N., II., 646; — noenu 887 (30, 23). Cfr. N. II., 682; M., d. r. m. p. 393; Corssen, Ausspr. II., 55; — simitu 891 (30, 17). Cfr. N., II., 680; Corssen, krit. Beitr. p. 22 et 400; Ritschl. opusc. 2, 258; —

annot.: frustillatim v. susp. 1: „non frustilatim nec minutatim dari," quem versum Non. p. 112, 9 tradidit hisce verbis: „Pomponius satirarum (cfr. O. Ribb., com. Pomp. v. 66) e. q. s.", Junius et Luc. Müll. Lucilio tribuunt, Planckius Ennio, cum aliis duobus versibus ap. O. Ribb. com., Pomponium quoque satiras scripsisse perspicue demonstretur.

Finem faciant praepositiones: endo 467 (17, 10) et 949 (30, 48) et indu 907 (30, 7) et 1020b (inc. 17).

V. Apud Ciceronem solum recurrunt haec vocabula Luciliana:
combibo (συμπότης) 531 (26, 66). Cic. ep. ad fam. 9, 25, 2.
glutinator 617 (28, 41). Cic. ad Att. 4, 4(b), 1.
tagax 970 (30, 86). Cic. ad Att. 6, 3, 1. Cfr. R. p. 119.
percrepare 572 (26, 57). Cic. Verr. 5, 13, 31.
suppudet 1198 (inc. 154). Cic. epist. 9, 1, 1 et ibid. 15, 16 in.

additament.: Quibus duo adjicere mihi liceat: unum, quo quidem semel praeter Lucil. 874 (30, 47) et Cic. Flacc. 7, 17 iam Plaut. trin. 862 (4, 2, 20) ed. Brix. usus erat: zonarius i. e. qui zonas secat. Cfr. diminut. „zonarium" i. e. ζωνάριον ap. Nov. com. 34; alterum, quod Lucil. 667 (27, 54) ap. Gerl. aliosque; Cic. ad Quint. fr. 1, 1, 2 § 9; Ulp. dig. 47, 18, 1 § 1 usurpaverunt: expilator i. e. spoliator, praedator.

VI. Pauca haec vocabula nusquam nisi ap. Lucilium et aevi Augustei scriptores dispersim reperiamus:

muto 970 (30, 127 et 8, 7); Hor. sat. 1, 2, 68. Cfr. supra v. „Muscon" p. 9 et „mutonium" p. 29 huj. diss. Vide Löwe p. 302.

permingere 1176 (3, 55); Hor. sat. 1, 2, 44. — Ceterum hos duos satirarum auctores, Lucilium et Horatium, similibus persaepe exemplis, sententiis, verbis aequalium avaritiam, libidinem, luxuriam, perversam philosophandi studium notasse iterum iterumque jam dudum demonstratum est. Cfr. imprimis Triemel, progr. p. 18 et Zawadski, diss. p. 9 sqq.

mataxa 1022 (3, 44); Vitr. 7, 3, 2.
verticula (pro verticulus) 122 (4, 30); Vitr. 10, 8, 1.
simare 242 (7, 14); Vitr. 4, 2, 3. Cfr. S. ind. p. 74.

additament.: Haec duo: nasum pro nasus 244 (7, 16), et 522 (22, 7); Vitr. 3, 1, 2. Cfr. N. I., 537, K., I., 107, β, R. p. 272; Lor. ad Plaut. mil. 1245; — et palpari pro palpare 799 (29, 96); Hor. serm. 2, 1, 20. Cfr. N., II., 310 et K., I., 609. — semel Augusti aetate, nunquam postea, saepius priscis temporibus inveniuntur.

VII. Post longius demum temporis intervallum haec verba, quibus Lucilius solus usus erat, ab argentei, quod dicitur, aevi scriptoribus semel bisve quasi in lucem resuscitata sunt (cfr. Quint. inst. orat. I., 6, 1; I., 6, 20; I., 6, 39 et M. d. r. m. p. 375).
varro 1114 (inc. 108); Pers. sat. 5, 138. (Cfr. Jahnii not. crit.)
Syrophoenix 435 (15, 24); Juv. 8, 159.
mantisa 1121 (inc. 95); Petron. 65, 10. Cfr. G. prol. CXXXIII.

additament.: gizeria 259 (8, 9: gigeria); Petron. 66, 2; Apic. 4, 141 et 181: 5, 200. Cfr. annot. Lachm. edit. p. 29; — hepatia 259 (8, 10); Petr. 66, 7; Apul. de mag. 41.

gradarius (adj.) 390 (14, 23); Sen. ep. 40, 11.

Facelinus (adj.) 91 (3, 3); Sil. 14, 260. Cfr. „Facelina“.

cyma, tis (pro cyma, ae), 847 (inc. 166); Col. poet. 10,129. Cfr. Schneider, comm. II., 2 p. 522 et S. ind. p. 30.

lapathus (pro lapathum) 999 (4, 1); Col. poet. 10, 373. Cfr. S. ind. p. 47; N. I., 536: K., I. § 107, β. —

thomice (abl. defect., a graeco θώμιγξ s. θώμιξ) 1051 (inc. 111); Col. 12, 32: Plin. H. N. 17, 10, 11. Cfr. N. I., 664. —

inuncare 430 (15, 21); Col. 7, 3, 10.

amia 836 inc. 53); Plin. 9, 15, 49. -

cinnabaris 1181b (inc. 138); Plin. 13 c. 2; 33c. 38.

icterus 30 (1, 29) [codd.: „citer“; L. „acer“]; Plin. 30c. 94.

maltha 627 (27, 38); Plin 2c. 235. Cfr. Löwe p. 332 et S. ind. p. 50 et v. „Malthinus“ ap. Hor. sat. 1, 2, 25.

nucula 1007 (inc. 7); Plin. 15. c. 87.

pistrina (pro pistrinum) 449 (16, 17); Plin. 18c. 86 et c. 99.

adj.: vermiculatus 994 (inc. 34); Plin. 13c. 66 et 35c. 2.

additament.: acharne Enn. Heduph. v. 10; Lucil. 22 (1, 35); Plin. 32c. 145. — bova 1117 (inc. 39); Varr. sat. Men. 329; Plin. 8c. 37 et 24c. 53. — musimo 211 (6, 15); Cato or. 18 frg. 11; Plin. 8c. 199. — saperda 1084 (4, 7); Varr. sat. Men. 312; Pers. 5, 134. — subulo Enn. sat 41 (p. 161 ed. Vahlen.); Lucil. inc. 162; Plin. 11c. 213. — trulleus (pro trulleum) 429 (15, 17); Cato or. 50; Plin. 34c. 7. —

cannabinus 1051 (inc. 111); Varr. 3, 5, 11 et 2, 8, 2 de r. rust.; Col. 6, 2, 3 et 12, 50, 8. — exoptabilis 563 (26, 37); Plaut. Stich. 395; Sil. 11, 387; — lutosus 88 (3, 10); Varr. de r. r. 2, 4, 8; Col. 8, 16, 7.; — sordidulus 34 (1, 27); Plaut. Poen. 137; Juv. 3, 149. —

decollare 371b (12, 8); Caecil. com. 116; Plaut. cas. 2, 4, 28; Sen. apoc. 6, 2; de rem. fort. 3, 1; de ira 3, 18, 3 (4); — frunisci (pro frui) 483 (18, 3); Metell. Numid. ap. Gell. 7, 2, 7; Nov. com. 77 et 78; Cato, Plaut. saepius; C. I. L. 4. 2953: Petron. c. 44; Sen. benef. 3, 16, 1: vit. beat. 23, 3.

mu 1138 (2, 27): Enn. inc. lib. v. 8 et 10; Plaut. frag. ap. Charis. p. 240, 4 ed. Keil. Idem voc. etiam ap. Petron. c. 57 exstare — id quod Nevium II., 820 et Kühnerum I. p. 683 et lexicographos omnes fugit — studiorum meorum sodalis quidam amicissimus[1]) me docuit. — Apul. fr. p. 636: „mut“.

VIII. Ab Hadriani demum tempore vehementiore antiquissimorum scriptorum admiratione orta haec Lucilii verba in opera neotericoterorum, imprimis Apul. et Gellii redundarunt:
capronae 426 (6, 18); Apul. florid. I., 3. Löwe p. 322.
gumia 872 (4, 30) et 1001 (30, 45); Apul. apol. 57 (p. 561).
noxit (nocuerit) 1117 (inc. 39); Front. ad M. Caes. 3, 13.

additament.: armillum 677 (28, 30); Varr. de vit. pop. Rom. I. ap. Non. 547, 13; Apul. met. 6c. 22 et 9 c. 29. — canalicula 1187 (inc. frag. XLIX.); Varr. d. r. r. 3, 5, 14; Gell. 17, 112. — ninguis 1193 (M. p. 165). Cfr. N. I., 179; — pausa 16 (1, 13); Plaut. Pers. 5, 2, 37 (818); rud. 4, 6, 1; Poen. 2, 1, 13; Acc. trag. 43 et 290; Enn. ann. 348 et 572 et sat. 11; Gell. 19, 5; Apul. met. II. — pessulus 132 (4, 34); Ter. Eun. 3, 5, 55 (603) et Heaut. 2, 3, 37 (278); Plaut. Curc. 147, 153, 157 saepiusque; Apul. met. saepius lib. I. et III.: Gell. 18c. 6; — praefica 809 (27, 27); Naev. com. 129; Plaut. truc. 2, 6, 14; Varr. de l. l. 6, 3; Gell. 18c. 6.

impuratus 59 (2, 1) [v. 63 (2, 9) L. injuria „impuratus“ pro codicum „injuriatus“]; Plaut. aul. 2, 6, 10; rud. 2, 6, 59; Ter. Phorm. 669; Apul.; — querquerus 1101 (inc. 35); Plaut. frag. ap. Prisc. 6, 87; Gell. 20, 1, 26; — scelerosus 25 (1, 20); Ter., Lucr. Apul.; — virosus 234 (7, 18); Afran. com. 62; Scip. Afric. ap. Gell. 6 (7), 12, 5; Cato de r. r. 157, 10; Apul. met. 9, 14.

deblaterare 510 (30, 106); Plaut. aul. 2, 3, 1 (266); Gell. 1, 2, 6 et 9, 15, 10; — flaccere 240 (7, 1); Enn. trag. 401; Afran. com. 65; Cic. ad Quint. fr. 2, 14, 4: Apul.; — muginari 241 (7, 25); Atta com. 4; Cic. ad Att. 16, 12; Gell. 5, 16, 5; — obgannire 249 (7, 30); Plaut. asin. 2, 4, 16; Ter. Phorm. 5, 8, 41; Apul. met. 2c. 2; — praeservire 910 (30, 49); Plaut. Amph. prol. 126; Gell. 17, 6. —

dapsile (Pomp. com. 161; cfr. Suet. Vesp. 19) s. dapsiliter (Naev. com. 39), comp. dapsilius 938 (30, 55); — insperato 864 (30, 38); Plaut. aul. argum. 1, 14; Apul. met. 9, 38.

[1]) J. Segebade, observationes gramm. et crit. in Petron., diss., Hal. 1880, p. 6.

IX. Inde a Septimii Severi tandem tempore apud infimos solos aetate scriptores, qui quidem ipsi haud sane liberali instituti eruditione, ut ait Luc. Müll. de r. m. p. 375, cupide plurima e collectaneis in carmina rettulere, quae ceteri magis venusto sensu praediti etsi gnara sibi procul removissent a scriptis propriis, — neque usquam antea haec Luciliana reperiuntur:

subst.: acceptor (pro accipiter) 1130 (inc. 123) et Cyprian, epist. 60, 2. Cfr. „acceptorarius" („Falkenierer").

cernuus i. e. calceamenti genus, 79 (3, 57) et Isid. 19, 34, 13. A quo voc. „cernuus" (κυβιστῶν) ap. Lucil. 621 (27, 34) et Virg., Sil., Apul., Arnob. traditum penitus differt.

gerdius 874 (30, 47) et Jul. Firm. math., 8, 25.

suberies (pro suber) 1186 et Isid. 17, 7, 27.

thoracium 66 (2, 26), ubi sine ulla dubitatione e codicum Non. corruptela „ciceetoracia" cum Luc. Müll. „ricae, thoracia" emendandum est; et Luc. Ampel. lib. memor. 8, 5. —

adj.: catax 50 (2, 19) et mythograph., quem vocant Vaticanum, II., 176 Mai classic. auct. III. p. 616. Cfr. Löwe p. 307.

impermixtus 1190 (inc. 86) et Ambros. de Noë 3, 7.

omnicolor 258 (8, 14) et Prudent. περὶ στεφ. 12, 39.

verb.: deargentare 552 (26, 71) et Hier. et Oros, cfr. lexica.

perserpere 163 (5, 21) et Fulg. Verg. contin. p. 160 M. — Idem Lucilii versus bis traditus (Charis. p. 100 ed. Keil et Non. p. 209) altero loco minus dilucidam quidem exhibet lectionem „praetensus" (cfr. N. II. 570), quam solus M. in contextum recepit.

additament.: amphitapos 35 (1, 28) et 224 (6, 10); Varr. sat. Men. frag. 253. — Ulp. dig. 34, 2, 24 et saepius ap. Isid.; — moetinus 46 (2, 13) et carm. Priap. 72, 2 ed. Büch. — Augustin. de civ. d. 4, 11; 6, 9; 7, 24; Lact. 1, 20, 36; Arnob. 4, 131; Tert. apol. 25; — peniculamentum 493 (19, 6); Enn. ann. frag. 363; Caecil. com. 132. — Arnob. 5, 1.

creperus 161 (5, 7); Pacuv. trag. 128; Acc. trag. 601 et 628; Varr. de l. l. 7, 77; Lucr. — Avien. Arat. 325; Mart. Cap. poet. 2, 116; Symm. ep. 1, 7; Ammian. 16, 8, 9; Isid. de nat. rer. 2, 2; — eminulus 82 (3, 7) et 472 (17, 4); Varr. d. r. r. 2, 5, 8 et 2, 9, 4. — Prudent. (cfr. lexic.); — genitabilis 1 (1, 1); Lucr. 1, 11. — Arnob. 4, 28; — suppus 1108 (inc. 105); Lucr. 1, 1061. — Isid. 18, 65.

mirare (pro mirari) 1125 (inc. 120) [codd.: „irant"; M.: „erant"]; Pomp. com. 108; Varr. sat. Men. fr. 128 et 129; C. I. L. 3, 70—72. — Juvenc. 3, 58 et saepius ap. Gregor. Turic. — repedare 566 (26, 78) et 567 (inc. 165), [cod.: „repedabam"; L.: „repetam"]; Lucr. 6, 1279. — Veget. mil. 1, 27; Ammian. 17, 2; 19, 6; 24, 4; 25, 1; 26, 5; Ambros.; Juvenc.

X. Restant denique vocabula Luciliana ab omnium quidem aut saltem diversorum temporum scriptoribus latinis rarissime tantum usurpata haec, quae breviter locis non jam additis enumerare mihi liceat:

angina 864 (30, 38). — artemo 985 (26, 99); — bolus 719 (29, 82); — cephalaea 22 (1, 35); — choragus 369 (12, 4); — crustulum 1070 (inc. 45); — eidolon (idolum) 687 (28, 15); — ficus (i. e. fructus fici arboris) masc. (pro fem.) 1128 (5, 28); galla 420 (15, 28); — gibber 1127 (inc. 122); — lucifugus 392 (14, 20); — oenoforum 113 (3, 51); — panus 260 (9, 28); — propola 168 (5, 28); — quaesticulus 261 (6, 7); — querquera (cercera) 1103 (2, 8); — rupex 1114 (inc. 108); — schedium 1116 (inc. 55); — scruta 1062d (inc. 77); — terricula 410 (15, 5); — tesserula 993 (inc. 33).

Arabus (pro Arabs s. Arabicus) 985 (29, 99); — adipatus 164 (5, frag. X.); — aquilus 1199 (inc. fr. LXXIX.); arthriticus 283 (9, 72); — capitatus 53 (2, 21); — cerebrosus 428 (15, 18); — exaptus 462 (16, 14); — exlex 45 (2, 3) et 860 (30, 99); — fandus 40 (2, 30); — horridulus 457 (16, 16); — imberbus (pro imberbis) 977 (30, 77); — inscriptus 629 (27, 20); — intercus 675 (28, 27); — ligneolus 177 (5, 25); — monogrammus 51 (2, 20) et 628 (27, 39); — nasutus 210 (6, 11); — pathicus 597 (26, 49); — solox 1110 (3, 15); varicosus 1031 (28, 25); — vescus 574 (26, 29); — clarare 918 (30, 6); — clepere 1085 (inc. 114); — crisare 805a (9, 70); — delingere 910 (30, 49); — depilare 748 (29, 40); — devorrere 672 (27, 58); — excantare 56 (2, 23); — expergitus (pro experrectus) 107 (3, 56); — fervere et fulgere (III. conj. pro II.) — injuriari 63 (2, 9); — innubere 209 (6, 26); — nutricare (pro: —ari) 975 (30, 129); — praeterere 617 (28, 41); — sallere 276 (8, 12); — temnere 892 (30, 18); — vadatus (passivo sensu pro activo) 344 (11, 25).

impliter 384 (13, 7); — assiduo 173 (5, 23); fartim 47 (2, 14); — ignaviter 464 (16, 2); — minutim 188 (5, 39) — protelo 221 (6, 34) et 366 (12, 1); — susque deque 75 et 76 (3, 11 et 12); — tolutim 256 (8, 13) et 1139 (inc. 79); — utrimquesecus 521 (22, 9).

Jamque finem facio summa impletus spe futurum esse, ut, quae parte II adumbravi tantum et quae praeterea multa de Lucilii elocutione jam collegi, alia oblata occasione latius pleniusque possim exsequi. Faxit deus!

Vita.

Ernestus Henricus Theodorus Fischer natus sum Cal. Jul. anni h. s. LVII Berolini patre Ernesto, matre Martha e gente Messerschmidt, quos adhuc vivere magnopere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primitiis in puerorum ludo imbutus gymnasium adii quod dicitur Coloniense, cui tum E. F. August et postea Adalb. Kuhn egregie praeerant. Deinde cum pater Freienwaldiam Viadrinam transmigrasset, ibi per septem fere annos, jam postremo infirma valetudine studia mea per decem menses interrumpere coactus, gymnasium frequentavi oppidanum, quod undeviginti circiter annos Waldemaro Kopp, viro discipulis suis benevolentissimo, nunc Genz directore maxime floret. Vere anni h. s. LXXVII maturitatis testimonium adeptus universitatem adii Berolinensem, ubi civibus adscriptus academicis rite nomen dedi apud jurisconsultorum ordinem. Sex mensibus post Jenam et simul in philosophorum castra transgressus sum jam inde philologicis studiis operam navaturus. Jena peracto anno Berolinum redii ibique per tres senos menses antiquis litteris me dedi. Denique Halis Saxonum per duo semestria studia mea continuavi et absolvi. — Docuerunt me primo Berolini viri doctissimi Bruns, Gneist, Zeller; Jenae: Delbrück, Gaedechens, Klopfleisch, Rohde, Adolphus et Mauricius Schmidt, Sievers, Volkelt; iterum Berolini: Droysen, Henning, Hübner, Kirchhoff, Müllenhoff, Scherer, Vahlen, Wattenbach, Zeller; Halis: Dittenberger, Haym, Hiller, Keil, Kramer, Ulrici, J. Zacher. — Per sex menses interfui seminario philologico Jenensi, quod moderabantur M. Schmidt et Rohde; Berolini Müllenhoff per tria semestria benigne aditum facilem mihi paravit ad exercitationes theodiscas a se institutas, per idem tempus seminario philologico, cui Kirchhoff et Vahlen praesunt, operam dedi; per sex menses E. Hübner, ut societatis philologae sodalis essem, benigne permisit. Halis per annum sodalis fui ordinarius seminarii regii paedagogici, quod sub Krameri auspiciis egregie floruit, et participavi per sex menses proseminarii et seminarii philol. exercitationes; praeterea J. Zacher, qua erat benevolentia, ut theodiscae societatis particeps essem per sex menses, mihi concessit. Quibus omnibus quos commemoravi viris doctissimis gratias et nunc ago et semper habebo maximas. Praematura morte nuper erepti praeceptoris Wald. Kopp summae erga me benignitatis nunquam deponam memoriam.

Typis expressit Albertus Koenig, Gubeni.